


AB

38946



POETICES
METHODICE
CONFORMATÆ
LIBRI DUO,

A B

ILLUSTRISSIMO
PRINCIPE MAURITIO,
HASSIÆ LANDGRAVIO, &c.
CONCINNATI,

&

*Sextum jam in lucem correctius
editi, & scholiis seu hypomnematis uti-
lissimis illustrati.*

AL. N.

Cum gratia & privilegio.

990



CASSELLIS
Typis & Impensis SALOMONIS
KURSNERI,
ANNO MDCXCI.

1632



R. 21



ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

AD
LIBELLUM
NOSTRUM.



*Iversos diversa juvant, omniq₃ palato
Non omnes sapiunt conveniuntq₃ cibi:
Quisq₃ suo capitur studio, sua quemq₃
voluptas*

(Qua sine viæ homini vivere dulce) irabit.

Inspirant alii spumantia follibus æra.

Ut statuas condant arte, Perille, tua.

Hic fundit Pyrio replendas pulvere cannas,

Ejicit inde sono terrificante globos:

Educta hinc cælo moles sylvaq₃ tremiscunt,

Turbatiq₃ pavet Regia vasta maris:

Non sic iratâ jaculatur fulmina dextrâ,

Nec tonitru cælum Juppiter ipse quatit.

Describunt alii vario sibi ficta colore,

Ut faciant fucis mortua viva suo.

Ostendunt alii fugientis temporis horas,

Et vigiles harum singula puncta notant.

Annumerant alii tremulis sua cantica chordis:

Utrem pro cithara gaudet habere Midas.

Hos juvat in gyrum validos torquere caballos,

Illos arma juvant, Marcia pugna juvat.

Augendi est alius immensum cæra pecull,

Fallor? an his Plutnam dixeris esse Deum?

At volupe est alius spoliare volucris auræ,

Piscibus & fluvios, & nemus omne feris.

Plena trahunt alios udi Carchesia Bacchi,
Quis aliud nihil est vivere, quam bibere.
Nostra sed Aonia venatio sobria Musæ est,
Proq³ ferâ cervâ vera Minerva placet.
Nos iuvat inventis attexere carmina Musis,
Sai fuerit, Musis si placuisse queam.
Musa noster amor, dulces ante omnia Musa:
Noster amor docti turba novena chori.
In cuius medioradianti vertice Phœbus
Increpat arguta fila canora lyra.
Nunc blandos elegos, faciles nunc author lambos
Heroôsve canens, non sine laude, modos.
Ergò novâ novus arte LIBER nunc prodit in auras,
In quo Phœbicolis regula certa datur:
Regula certa datur, qua, dum modò noveris illam,
Scire potes stricti tempora certa pedis.
Scilicet hæc faciunt tibi metra, metrumq³ poëma,
Seria seu placeat pangere, sive joca,
Iliber alitibus dextris, & mollibus auris
Exceptus genium, si mercaris, habe.
Qui re Doctoris non dedignantur honore,
Fundere fac facili mollia metra stylo.
Metra quibus constet sua laus hominiq³ Deoq³,
Scilicet his unis serviet omne melos,
Exoptaq³ diu Lectoris ut ore veharis,
Prospera q³ authori fata precare tuo.



AD.



ADMONITIO, QUA RATIO docendi Poëticam paucis demonstratur.

SCitis, Poëtæ, quòd Poëtis & Poëtices studiofis quædam est data licentia, quâ vel tempora syllabarum, præter regulæ mandatum, ponant; vel enarrandis rebus gestis, præter simplicem veritatem, verisimilem fabulam affingant. Eâ nos quamplurimum abuti, ex hoc liquet, quòd Poëticam hanc conscribere ausi fu-
erimus.

Fecimus autem idiplum, tum quòd videremus, neminem ferè ante nos carminis scribendi rationem veris methodi legibus comprehendisse: tum quòd arbitraremur, eam ob causam multos à studio Poëtico abhorrere. Cùm enim facultas aliqua aut planè nullis efformata præceptis, aut non legitimè collectis, in obscuro latet, fit ut minùs æstimata à nullis appetatur. Quod sanè Poëticæ, aliâs non infimæ, contigisse constat; quæ passim in Germaniæ Scholis ita hæcenus friguit, ut jam frigore suo omnis penè Laurea, Poëtis coronandis reservanda, cùm virefcere debeat, marceat, & suavem eruditionis odorem amittat. Sed cùm non tam jucunditas rei Poëticæ, quàm metro-
rum componendorum suavitas; non tam veterum Poëtarum monimenta, quàm recentiorum quoque exempla; non tam Poëmatis conficiendi facultas, quàm ejusdem utilitas invitent, afficiant, testentur,

declarent, admoneant, & præcipiant, aliquid esse studio Poetico tribuendum, quantum illud sit, & quâ ratione id fieri debeat, jam dicemus. Quemadmodum igitur nulla vel ars, vel facultas est, quæ peculiari fine & scopo careat; sic quoque facultas poetica eo omninò non caret, imò duplicem sortitur; alter enim in ligatâ oratione efficiendâ, alter in laudibus Dei, Heroum, Principum, & virorum, foeminarumque virtute præstantium, nec non in rerum naturalium & moralium prædicatione consistit: illum præter Poeticam nulla ars vel facultas assequitur; hunc licet communem cum Oratoriâ & Historica habeat, tamen præ reliquis Poetica majori cum delectatione, admiratione & perfectione consequitur: Sic enim David, ille regius Propheta, cùm laudes Dei Opt. Max. decantare veller, ligatâ oratione nervosâ & admirabilè usus est, cujus exemplum non tantùm filius Salomon Proverbis & Cantico, verùm etiam (ut in sacris legere est,) multi alii, tam viri, quàm foeminae, imitati, singulari pietate ducti, ligato carmine divinas & Heroicas laudes celebrârunt. Addo quòd & nostro seculo multi motu pio adducti regios istos Psalmos poetica paraphrasi adornârunt: Inter quos nostro iudicio Buchananus Scotus primas elegantiam carminis, secundas verò facilitate styli Eobanus Hessus, laudes tulit. Veterum deinde Poetarum, quæ adhuc extant vestigia, Lucretii, Vergilii, Ovidii, Horatii aliorumque, licet fictis utantur argumentis, tamen in iis præstantissima Heroum gesta, utilissimas morum præceptiones, necessarias rerum naturalium explicationes singulari artificio ita occultârunt, ut, ne omnibus hoc etiam indignis traderentur, sed dignis tantùm, & Poeticæ studiosis in thesauro quasi reservata essent, neque iisdem sine aliqua admiratione


cum

cum utilitate & delectatione conjunctâ innotescerent.
Sic enim (ut de reliquis taceam) Virgil. in I. Æneid.
duplicem Reipubl. Rom. laudem duplici argumento
egregiè occultavit, præliis terrestribus virtutem &
fortitudinem bellicam, navigationibus verò pruden-
tiam togatam Romanorum describens & prædicans.

Tanta igitur studii Poetici necessitas & tanta utili-
tas erit, quanti apud unumquemque valebit laus Dei,
& illustrium personarum, & quò ea præstantiùs ligato,
quàm soluto sermone prædicari poterit. Cæterùm
ratio efficiendi Poemata (ut quidem speramus,) in
exiguo nostro libello delineata est, quæ si non suffi-
cit ad faciendos Poetas, aliquid tamen proficit. Habe-
tis enim isto non tantùm metri absolvendi absolutam
rationem, verùm etiam inveniendi argumenta poeti-
ca, eademque disponendi, elaborandi, & poeticè con-
cinnandi quandam adumbrationem non contemnen-
dam. Quò si assidua excellentium Poetarum lectio ac-
cesserit, quâ imitatio rectiùs comparatur: & præterea
instrumentale illud Logicæ utriusque artificium ad-
jectum fuerit, singulari judicio & exornandi legitimo
modo observato, non exiguum, sed planè laude di-
gnum quid studiosus Poetices præstabit.

Puerilia quidem, quæ sequuntur, sunt, sed Poeticæ
candidatis non negligenda: consistunt verò in ex-
ercitatione metri, partim in analyseos & geneseos
simplicis adhibitione, partim in imitatione elaboratâ:
illa in Transpositione & Restitutione, hæc in Decan-
tatione (quam vocant) efficitur. Transpositione ad
metri collocationem facillimè paratur aditus, cum
aliorum metra in prosam transposita transponimus
denuò in metrum: Hic verò ut maximè copia & sci-
entia cognitionis quantitatam est necessaria, quam
studiosus præter regulas diligenter consideratas fami-

liari recitandorum versuum certamine nullo negotio
acquiret. Restitutio verò quæ Genesis est, tum in
fragmentis redintegrandis, tum in diversa metri va-
riatione absolvitur: Fragmenta ut redintegres, opus
habebis copiâ Poëticorum Epithetorum, Phrasium
& dictionum: Quæ omnia collatione ex authoribus,
annotatione, & memoriæ agitatione obtinebis; & sic
metra faciliùs redintegres. Variationem autem fa-
cillimam deprehendes, si solùm vocabula in metris
inventâ consideres, quomodo ea in pedes commutare
possis: sic faciliùs Heroicum in Asclepiadeum, quàm
Jambicum transmutabis: facillimè omnium Tro-
chaicum in Jambicum, ut in libello præsentî monui-
mus. Decantaturus verò carmina, in eo genere
metri, quo Poema decantandum conficies, primùm
aliquem veterum Poëtarum consule, deinde elabora-
to tuo carmine, id ipsum ad prælectum autorem adhi-
be, emenda, substitue & corrige, donec simile quid te
conatum fuisse existimes: & sic meliùs tua decanta-
bis. Habetis, suavissimi Philomusi, ni fallor, quanta
sit laus & utilitas vestræ facultatis, & quanta è regione
comparandæ istius facillima jucunditas. Accipite
igitur nostrum libellum humaniter, ac diligentius &
amantiùs, quàm hactenus, Poëtica studia excolite.
Quod si feceritis, brevi nos ad juvandum provehen-
dumque studium illud majoribus operis perducetis.
Valet.



EPI.

EPIGRAMMA

IN POETICAM ILLUSTRISSIMI ET CLE-
mentissimi Principis ac Domini, Dn. MAURITII
Hassia Landgravi, Comitis in Catimeliboca, Decia
Zigenhaina & Nidda, &c.

MUſæ Pierides cum Phœbo Heliconâ relinquunt,
Atque habitat cerebro, Magne, Minerva tuo:
Ingenio felix, & felix sorte, quid obstat

Quin celebrare artem dum cupis, arte voles?
Noste admiramur, laudabunt secula nepotum,
Quod nomen proprium tollere Marte queas.

Vive diu *rarus* supremos inter & imos
Ingenio, arte, manu, fidere, sorte, Deo.

Jacob. Mosanus Med. D.

ALIUD.

Ἐπιδεικτικὸν & votivum.

HOc opus exegit Princeps florentibus annis:
Quæ veniens ætas, qualia, quanta dabit?
Perspicuum, verum, proprium Methodusq; rotunda

Dant operi genium, conciliantq; decus.
Hoc autem studuit viridi prodesse juventa,
Quæ vacat ad sacras irrequieta Deas.

Quinam longa superent tibi stamina vite,
MAURITI, generis gloria rara tui.

Et nobis Sophiæ totum confeceris orbem,
Tu Phœnix hujus temporis, artis honos.

Rodolphus Goclenius Professor Log.
Acad. Marburg.

ALIUD.

NUſquam Parnassus fuit antè, Aganippidos unda
Nulla fuit, ter tres nec viguère Deæ.

A 5


Quare

Quare ita? Pro vero mendax sibi Græcia fictum
Vendicat, & stupidos audit ubique dolos.
Desinat ergò sibi Parnassi fingere colles,
Ter tres mentiri desinat illa Deas.
Scilicet Aonius quicquid Chorus exigit, omne id
Unius in cerebro *Principis* esse liquet.
Hassiasis felix, tibi enim Parnassus in uno
Principe cum Musis floridus astra petit.

Debita & submissa
devotionis ergò
Johan. Hartmanni Professor
Mathematicus F.



POE-



POETICES

Liber Primus.

CAP. I.

De Poëtica, ejusq; partibus.

POETICA a est facultas benè effingendi orationem ligatam: Eodemq; sensu A'oido-σύνη dicta est, & Musica b a veteribus, quia Musici concentus poëmatis conjuncti fuerunt apud veteres (A'oidòs cantor est.)

Oratio ligata intelligitur, quæ tota numerosa est: tum metrum c, id est, versus; tum poëma, hoc est, integrum opus seu carmen.

Comparata est ad docendum, & delectandum.

Partes Poëtices duæ sunt: Metrica & Poëmatica.

Metrica est prima Poëtices pars, de extruendis metris. (Barbari vocant versificatoriam:) Estq; ad posteriorem veluti προγυμνασία & παρασκευή.

Metrum est orationis ligatæ ordinata compositio: dictum ἀπὸ τῆς μετρειῆς, id est metiendo: quia certorum pedum mensuram requirit.

Inde metro primùm Principia: deinde affectiones & Genera dicentur.

Schol.

a [POETICA] Dicta est ἀπὸ τὸ ποιεῖν, quod est facere. Ejus effectio dicitur poësis: Effectum ipsum dicitur poëma.

Poetica

Poëtica est ars ipsa, Cā qua differt Naturalis $\pi\alpha\iota\eta\tau\iota\kappa\eta$, quæ est vis numerosa in ipsa natura humana, quâ versus clauduntur. Poësis est conformatio poëmatis, Poëma est ipsum opus.

b MUSICA] 1. Quòd suavitate Musicam harmonicam æmuletur. 2. Quòd olim poëmata non tam recitarentur, quàm decantarentur. Itaq; Eustathius $\pi\alpha\iota\epsilon\epsilon\iota\nu$, inquit, est idem quod $\epsilon\mu\mu\epsilon\tau\rho\omega\varsigma$ scribere vel decantare. 3. Quòd Poëtæ soli sibi vendicent præsidium & patrociniū Musarum, quarum spiritu quæ alios fugiant lateantque ab ipsis inveniuntur.

c METRUM] Metrum est versus poëtico numero & ordine astrictus. Numerus in genere est in oratione canor seu concentus quidam. Seu: concinnitas orationis, apta rei quæ significatur.

CAP. II.

De Quantitate.

PRincipia sunt Materialia, vel Formalia.

Materialia sunt in doctrina Temporis & Pedum.

Tempus est mora, quâ syllaba exprimitur: *vel*: Est iusta prolationis syllabarum mensura.

In tempore considerantur Quantitas, & quantitatis cognitio.

b Quantitas est, quâ syllabæ valor constat.

Estque perpetua, aut Mutabilis.

Perpetua quantitas est, quâ syllaba constanter unum valorem retinet.

Estque Brevis, aut Longa.

Brevis est, quæ constat uno tempore: cujus nota hæc est, *v. ut*: *Sed*.

Longa est, quæ constat duobus temporibus: cujus nota est, - *ut*: *en, salūbris*.

Muta-

Mutabilis est modò brevis, modò longa: ea aliàs
communis c seu anceps dicitur, ut: *cyclops.*

a MENSURA) Hæc definitio nititur fundamento phy-
fici. Phyci veteres enim faciunt Tempus mensuram mo-
tûs. Potest & dici brevissimè: Tempus est tractus pro-
nunciationis.

b QUANTITAS) enim est in temporis tractu, ut ait
Scaliger.

Alia est ab hac Quantitas carminis, (de qua infra) secun-
dum quam pedes carminis numerantur.

c COMMUNIS) vel naturâ vel autoritate poëtarum.

CAP. III.

De Generali cognitione quanti- tatis syllabarum omnium.

H Actenus ipsa quantitas, sequitur cognitio quan-
titatis: quæ perspicitur Regulis, vel Exemplis.

Regulæ sunt Generales, aut Speciales.

Regulæ Generales sunt vel syllabarum omnium
vel priorum communiter.

Omnium syllabarum primaria est, vel secundaria.
Primaria potest esse positio vel Diphthongus. Secun-
daria: Contractio & Analogia.

De Positione.

POSITIO est duarum consonantium post voca-
lem concursus, qui eam longam facit (sic dicta, quia
est consonantis ad consonantem appositio) Duarum
vel revera, ut: iste; vel potestate, id est, unius dupli-
cis, ut: *Ajo, Gaza.*

Est que primi modi seu naturalis, vel secundi modi,
seu artificialis.

Positio I. modi est, cum in una voce vocalem duæ
consonæ sequuntur, ut:

Conscia mens recti fama mendacia ridet.

Non est è terris mollis ad altra via, *Major in exi-
gno regnabat corpore virtus.*

Posi-

— Positio est immutabilis vel mutabilis. —

— Immutabilis est perpetua, ut: *Ferrum, agnosco, negligo, cunctiscius, artiscius, rescindo, abluo, obruo, subruo, sublevo, fert, uxor.*

— Excipe composita: *Bijugus, multijugus, quadrjugus*, quæ habent antepenultimam brevem.

— Positio mutabilis, seu liqueſcentium est, quâ propter liquidam L vel R postpositam mutæ vel firmæ, syllaba brevis potest fieri longa, ut:

— *Omne solum forti patria est, mihi patria coelum!*
Virg. Nec prius amissam respexi, animumq; reflexi.
Abeli versus: Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.
Inversio metri hujus per Cainum est: Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

Sic: Flagro, flagrum, proprius, migro. Quæ propria veniunt arbore poma volo.

Huc Atlas & Athleta referuntur à Micyllo.

— (Brevis dico, quia syllabæ per se longæ, propter firmam & liquidam, nunquam possunt fieri breves. Itaq; primæ in *lubricus, publicus, fragro & acri*; mediæ in *compotrix & salubris* nunquam corripuntur.)

— Quanquam in cæteris etiam liquidis hoc fit nonnunquam, sed rariùs, & non nisi in origine Græcis, ut: *cygnus vel cygnus.*

Schol.

Latro nomen primâ indifferenti Latro verbum primâ longâ: sic allatro, etsi quidam è recentioribus, ut Stroza, Mantuanus, Pontanus, corripuerunt: quod annotavit P. C. Bilovius.

Lubricus) Lubricus est homini facilisq; in turpia lapsus.

— Positio secundi modi est, cum duæ voces ita junjuntur, ut prioris ultima brevis consona sequentis vocis initiali alterâ producat. *Ovid. In nova fere animus novæ dicere formas.*

Scholia.

Scholia.

Alii hæc sic tradere videntur. Vocalis positione, id est, conjunctione consonantium eam sequentium, fit longa.

Positio est primi, vel secundi modi.

Prima fit in una voce, ut: *Ille, actus, refert, ajo, conjux.*

Exceptio.

Si firmam vel mutam sequitur liquida L & R longa positione potest fieri brevis, aut naturâ brevis, communis. Exemplum primæ partis ex Ovid. *Hercule supposito sidera fulcit Atlas.*

Exempla secunda partis.

Idem. *Et primò similis volucris, mox vera volucris.*

Sic *Reflecto, refreno, Cyclops, duplex, triplex, prima communi: E in muliebris commune.*

M & N liquefcunt in Græcis, ut: *progne, cycnus, Tecmessa.*

Positio secunda fit in duabus vocibus, ita ut altera consona sit in fine præcedentis, altera in initio consequentis, ut: *At pius Æneas.* Græcismum sapit hoc Virg. 6. *Æneid. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.* Hic a *ie tela* producitur propter consonantem s. & mutam c. Singulare hoc quoque est: *Limnaque laurusque Dei.* *Æneid. 3.* ubi *Que* producitur propter literam sequentem L. vel imitatione Græcorum, qui monosyllabum *Te* interdum producunt.

Potest & positio distingui in Frequentiorem, seu usitatiorum, & Rariorem, seu minus usitatam. Usitatio est duorum modorum quos exposuimus. Rarior, seu minus usitata est, cum diëtionem vocali terminatam altera diëctio, incipiens à duabus consonantibus, sequitur, ut *Catull.*

Nulla fuga ratio, nulla spes, omnia muta. Virg.

Date tela, scandite muros.

De Diphthongo.

Omnis Diphthongus longa est. Ovid.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyco.

Stattius. Cum vacuus Domino præiret Arion.

Exceptio.

Interdum corripitur Diphthongus more Græcorum, ut: *praire, præacutus.*

Jamq.

Famq̄, novi praeunt fasces, nova purpura fulget.

Scholium.

Longa) Hâc regulâ producitur prima in U P I L I O (pro Opilio, O enim mutatum est in ou) In Bubalus & buma-
stus 2. Georg. Græc. Βύβαλος & Βύμας, id est,
mammeus, tumidus.

De Contractione.

- Contractio longam facit syllabam.
- Fitque vel exemptis literis, vel coalescentibus voca-
libus. Pertinet igitur huc CRASIS.

Exempla.

Nil pro nihil, mi pro mihi, ni pro nisi, quis pro qui-
bus, Di pro dis, tibicen pro tihicen, meridies pro me-
diidies, cui pro cui, refert (pro interest, seu necesse est)
pro res fert, sedecim pro sexdecim, traduco pro trans-
duco. Longæ igitur primæ sunt, Bigæ pro bijugæ, cogō
pro coago, nequam pro nequicquam. Et media in qua-
driga. Huc referri etiam potest Crapula. Sic longæ
ultimæ in peculi, convici, tuguri, pro peculii, convicii,
tugurii. Singulare etiam est selibra, pro dimidiâ li-
brâ, prima brevi, apud Martialem. Produci hinc se-
malo, quia semilibra habet primam longam.

De Analogia.

- Analogia est similitudo flexûs aut terminationis.
- Analoga sunt ejusdem ferè quantitatis, ex qua par-
te analoga sunt.

• *Seu:*

Quorum eadem est flexûs aut terminationis ratio,
eorum quantitas ferè est eadem, ut: Fovi, movi; lego
legis legere; gener generi genero; labecula, nubecula;
generosus, vinosus; amabilis, affabilis; justitia, amici-
tia; flos floris, mos moris; patrimonium, matrimo-
nium; patricida, matricida.

Ana-

Analogia) Analoga dicuntur, quæ sub eandem rationem cadunt.

Ferè) Authoritas analogiæ quandoque derogat.

CAP. IV.

De Generali cognitione quantitatis syllabarum priorum.

ATque hæc de quantitate syllabarum omnium: sequitur tum ea, quæ est priorum communiter, hoc est, earum, quæ finalem syllabam antecedunt, nempe primæ & mediarum; tum ea, quæ est mediarum & ultimæ.

Primæ & mediarum cognitio est in vocali ante vocalem, & Derivatione, seu DEDUCTIONE.

Schol.

Henningus Rennemannus vocalem ante vocalem spectare etiam ad ultimam syllabam ait, propter exemplum Virgilii: *Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* & similia. Sed hæc sunt rarissima, & minus usitata.

De Vocali ante Vocalem.

Vocalis ante vocalem brevis est, ut: *pius, seorsum, introitus, Sophia, Academia, Symphonia, Idea, rei. Virg. Dii prohibete minas.*

Tempus fert violas, purpureasq; rosas.

Exceptiones.

Anomalia hæc triplex est; prima Nominis. Nam I. Genitivus in *ius* anceps est, ut: *illius, unius, totius*; exceptis *solius* & *alius*, quæ i semper producunt. *Alterius* sequitur regulam. Hinc versus:

Corripit alterius semper, producit alius.

Secundò, E inter duas vocales longum est, ut: *diei.*

Tertiò, Græcis est sua quantitas, ut: *Dius, Elegia, ær*, quæ usu Latina facta sunt.

Quartò, Genitivi antiqui in *ai*, ut: *Aulai*, a producunt.

B

Quin.

Quinto, Vocativi, Pompei, Cai, e & a producunt.
Secunda anomalia Verbi est in *fio*, cum omnibus
hinc descendentes, ut: *fiēbam*, *fiam*, præterquàm
in *fieri* & *fierem*. Ovid. *Omnia jam fiēt, fieri quæ
posse negabam.*

Tertia est particularum *Ohe* & *Eheu*. *Ohe* primam
communem, *Eheu* longam habet.

Schol.

Aulai) De talibus alii docent sic *ἠανονικῶς*. A incre-
mentum primæ declinationis longum est, ut: *terrāi*, fru-
giferāi. Apud Ovidium est *ἔλεγεία* quadrisyllab. pro *clē-
geia*. *Platea*, *Chorea* penultimam producunt propter diph-
thongum *ei*: Interdum corripunt penultimam ex regula,
ac tum intelligitur extritum seu abjectum esse *i*. Sic *Chēra-
gra* pro *Cheiragra*. *Eous* primā indifferenti, quia scribitur
per *ε* & per *η*. Mediam in *solius* quidam etiam è recentio-
ribus corripuerunt.

De Derivatione.

Vox derivata seu orta sequitur quantitatem sui pri-
mi, ut: *cārus*, *cārissimus*, *cāritas*; *pecūlor*, *depecūlor*;
sēdeo, *sēdile*; *vōco*, *vōcabulum*; *peeitor*, *compeiitor*;
nōta, *nōto*; *valere*, *valētudo*; *leōnis*, *leōninus*; *sci-
rus*, *inscītia*; *lūtum*, *lūteus*; *vagātum*, *vagābundus*;
flātū, *flābrum*; *lavātū*, *lavācrum*; *involūtū*, *invo-
lūcrum*; *fōtū*, *fōmes*; *mōtū*, *mōbilis*; *nōtū*, *nōbilis*;
finītum, *finītor*; *idēt*, *idētus*; *quōt*, *quōtus*; (*attotus*
pro integer habet primam longam) *Fūtum*, anti-
quatum verbifuo, *fūturus*; *venēnum*, *venēficus*; hu-
juscē, *hujuscēmodi*; *trīca*, *intrīco*, *extrīco*; *faūcis*,
suffōca, *prafōco*; *crastīnus*, *procrastīno*; *festīnus*, *fe-
stīno*; *clīno*, *inclīno*; *pōno*, *propōno*; *polītes*, *polītia*;
scatūrri, *scatūrriigo*.

Inscitia) Boëtius igitur lib. 4. Ode 5. malè corripuit
antepenultimam, sicut & ille quem reprehendit Joh. Major
hoc versiculo, *Inscius & rudis est, cui vox inscītia curta est.*

Luteus

Luteus) Luteus ut color est, sic opus est luteum (id est, à luto confectum) Lutea flamma, apud Lucanum *Bleichgelbe*: prima igitur in Luteus pro diversa significatione variat.

Scaturio) Recentiores nonnulli antepenultimam corripuerunt, sed sine exemplo veterum & violato canone, Sic *ligūrītor*, quia apud Horatium est, *ligūrīt*,

Exceptiones.

Anomalia hīc duplex est: Brevium à primis longis, & longarum à brevibus.

Brevia à primis longis

Sunt, *nato*, *arena*, *fides*, *odium*, *ducis* atq; *lucerna*,
Et *sopor*, & *fragilis*, *lituus*, *varicosus*, *arista*,
Atq; *mamilla*, *sagax* & *ofella*, *micella*, *curulis*,
Et *fatuus*, *ligula*, & *lotium*, *siquidemq;* *sigillum*.
Adde *farina*, *manus*, *scabies*, & *acerba*, *bubulcus*.
Adde *vadum*, *vitiumq;* *dicax*, *tandemq;* *tigillum*.

Schol.

Ducis à *duco*; *nato* à *nare*, sic & *enato*; *arena* & *arista* ab *areo*; *fides* à *fido*; *odium* ab *odi*; *Lucerna* à *luceo*; *sopor* à *sopio*; *fragilis* à *frango* vel *frago* antiquo; *lituus* à *lite*; *varicosus* à *varix*; *mamilla* à *mamma*; *sagax* à *sagio*; *ofella* ab *offa*; *curulis* à *curro*; *micella* à *micra*; *fatuus* à *fari*; *ligula* à *lingua*; *lotium* à *lotum*; *siquidem* à *si*; *sigillum* à *signum*; *farina* à *farre*; *manus* à *mano*; *scabies* à *scabo*; *acerbus* ab *acer*; *bubulcus* à *bubus*; *vitium* à *vito*; *dicax* à *dico*; *vadum* à *vado*; *tigillum* à *tigno*. Cæterum *odium* videtur primam habere brevem, ut antiquatum *odio*, *is*, *ire*, quo usus est Eobanus. Hūc pertinent *molestus* à *moles*; *quasillus* à *qualus*, *Appulus* ab *Apulia*; *pusillus* à *pusio*, à *labes labefacio*, *labefacto*. (a) *semisopitus* à *sopitus*; *faridicus* & *causidicus* à *dico*; *nihilum* à *ne* & *hilum*; *pejero* & *dejero* à *juro*; *pronuba* à *nubo*; *disertus* à *differo*; *connubium* à *nubo*. Sed & *nu* in *connubium* producitur. Sic *flabellum* à *flabrum* indifferens. Ita & *strigilis* à *stringo*. *Nefarius* à *ne* & *fari*, primam corripit (ut *nefas*, *nefandus*, *nefastus*) à *ne* & *farina*, secundam corripit & primam producit (ut *nequaquam*) apud Propertium.

Addunt quidam ex Horatio *numisma* à *numus*. Sed illud Græcum est origine: *νόμισμα* enim dicunt Græci. Itaque regulare.

(a) *Semisopitus* per *systolen*. In Sapphico enim carmine quid vetat, quo minus ponas: *Semisopitus*.

Longa à primitivis brevibus.

Sunt *Vocis*, *regis*, *feronia*, *regula*, *legis*,

Tegula, *lacerna*, & *seclum*, cum *vomere*, *vena*,

Macero, *vitupero*, *ceritum*, *putus* & *humor*,

Feria & *humanus*, *jucundus* & *imbecillus*,

Litera, *feralis*, *nitella*, *lemuria*, *Chius*,

Sicelis & *rapum*, *stipendia*, *jugera*, *sedes*,

Secius, ac *binus*, *trinus*, *nonus* quoque *denus*.

Adde his *biduum* & *triduum*, à particulis *bi* & *tri*, & *pridie* à *prior*, & *pumilio* apud Martialem à *pumilus*.

A *statum* sunt *status* Substantivum & Adjectivum primâ brevi, & *staturus* primâ longâ. Sic *constantinus*.

Additur à nonnullis *junior* à *juvenis*, sed illud primam habet productam per regulam contractionis, pro *juvenior*, vel originis, ut sit à voce *Juno*.

Schol.

Vocis est à *voco* (At vocabulum primam habet brevem) *legis* à *lego*, *regis* & *regula* à *rego*, *feronia* à *fero*, *tegula* à *tego*, *lacerna* à *lateo*, *seclum* à *sequor*, *vomer* à *vomo*, *vena* à *venio*, *macero* à *macer*, *vitupero* à *vitium*, *ceritus* à *Ceres*, *putus* quasi *putatus* à *puto*, *humor* ab *humo*, *jucundus* à *juvo*, (quidam scripserunt *jocundus* à *jocor*, sed malè: *jocundus* non dicitur, sed *jocabundus* primâ brevi, & secundâ longâ) *imbecillus* à *bacillus*, *litera* à *lino litum*, *feralis*, id est, *dirus*, à *feralibus*, quæ sacra dicta sunt à *fero*, teste Ovidio, *nitella* à *niteo*, *lemuria* à *lemuribus*, *Chius* adjectivum à *Chio* insula, *Sicelis* à *Siculus*, *rapum* à *rapio*, *stipendium* à *stipe*, *jugera* à *jugo*, *sedes* à *sedeo*, *secius* à *secus*, *binus* à *bis*, *trinus* à *tribus*, *nonus* à *noyem*, *denus* à *decem*.

Exce-

Exceptio aliquando etiam in ultima syllaba locum
habet, ut: *Monosyllaba Do, sto, producuntur*. At ul-
tima in *Asto, addo*, est indifferens.

Προσθήκη, seu appendix de Incremento.

Deductionis, seu Derivationis, species quædam
est INCREMENTUM, quo etiam quantitas primæ &
mediæ syllabæ cognoscitur.

Incrementum est additio, quâ aliqua dictio pri-
mum thema numero syllabarum excedit.

Longè autem sæpius media, quàm prima syllaba
Incrementum est.

Prima incrementum est, cum norma ipsa, ad quam
incrementum dirigitur, est monosyllaba, ut: *Das un-*
de damus, datis, dabam, dare, habere dicuntur incre-
mentum. Sic *Dux*, unde *Ducis*.

Incrementum primò est unius syllabæ, ut: *ama-*
bam, amabas; vel plurium, ut: *amaveram, amave-*
ramus. *Supellectilis, bicipitis, itineris*, hæc, inquam,
duplici augentur incremento.

Secundò est Nominis vel Verbi, ut penultima geni-
tivi & dativi nominis *Sermo* est incrementum; pen-
ultima in *legerunt*, incrementum est verbi *lego*.

De incremento Nominis Regula Generalis.

Incrementum in omnibus casibus servat quantita-
tem eandem.

Excipitur *Böbus*; cujus dativus singularis *bövi*.

Regulæ de Incremento Nominis Singulari.

In declinatione secundâ in r s

Incrementa E, I, U, corripuntur, ut: *mifero, vel*
miseri, viri, saturi, [à miser, miser, satur.]

Excipitur *Iberi ab Iberus*: Sic & *Celtiberi*.

B 3

IA

In Declinatione in Bus.

B corripitur, ut: *Arabi, trabi, seu Arabis, trabis.*

C producitur, ut: *fofnaci, Excipe facis,*
& Græca, ut: *colacis, nycticoracis, climacis, abacis, anthracis, arctophylacis,*
(Manilius tamen necessitate metri coactus *Arctophylæca* penultimâ longâ dixit) præterquam *Thræcis, Phaëcis, thoræcis. Syphæcis à Syphææ* mediam variat.

Ante D corripitur, ut: *Palladis.*

R corripitur, ut: *harpagis.*

T producitur, ut: *animalis.* Corripiuntur masculina & Barbara, ut: *salis, Hannibalis.*

N producitur, ut: *Titanis.*

P corripitur, ut: *Lelapis.*

R in neutris producitur, ut: *Calcaris.*
Excipe *nectaris, jubaris, maris.* Masculina autem & Barbara corripiuntur, ut: *Laris, maris à mas.* Exceptis *Naris* (à *Nar*) *Caris* (à *Car.*) Sed & *pâris* a corripit, cum *par* producat.

S producitur, ut: *vasis.*

T producitur, ut: *honestatis.* Excipe *anaris,* & Græca omnia, ut: *poëmaticis.*

E in incrementis declinationis in Bus.

B producitur, ut: *plebis.*

C corripitur, ut: *nēcis.* Excipe *vervēcis, halēcis, fecis.*

D corripitur, ut: *pedis.* Excipe *mercedis, heredis.*

G corripitur, ut: *gregis.* Excipe *legis, regis.*

E ante

E ante L producitur, ut: *Danielis*.

M corripitur, ut: *hyemis*.

N producitur, ut: *splenis*. Excipe *senis*,
(*Hymenis Graecum est.*)

P producitur, ut: *sepis*.

R corripitur, ut: *vulneris, mulieris*. Excipe *Græca, crateris & similia*.

T corripitur, ut: *segetis*. Excipe *locupletis, quietis, magnetis, tapetis, lebetis*.

I in incrementis declinationis in B u s.

B corripitur, ut: *cœlibis*.

C, quorum nominativus in *ex* definit, corripitur, præter *vibicis à vibex*. At quorum nominativus in *ix* definit, i producant, si fœminina fuerint. Excipe *picis, filicis, laricis, salicis, cœxendicis, histricis*. Masculina autem omnia i corripiunt, præterquam *spadix, spadicis, Phoenix, Phœnicis*.

D corripitur tam in propriis, quam in appellativis, ut: *lapis, lapidis*.

G corripitur, ut: *strigis*.

I ante L corripitur, ut: *vigilis*.

N corripitur ut: *nominis*. *Delphinis à Delphin Græc. long.*

P corripitur, ut: *adipis*.

R corripitur, ut: *Gadiris*; Excipe *gliris & vires*.

T corripitur, ut: *cespitis*. Excipe *Ditis, & lis, litis, & Gentilia Samnitis, Quiritis*.

O in incrementis declinationis in B u s.

C producitur, ut: *vocis*. Excipe *precocis, Cappadocis*.

D producitur, ut: *custodis*.

G corripitur, ut: *Allobrogis*.

L producitur, ut: *solis*.

N producitur, ut: *praconis, lectionis*.

De Graecis consule Lexica vel Micyllum.

P corripitur, ut: *inopis*. Excipe *Cyclópis, Cereopis, hydropis*.

O ante R producitur ut: *amoris*. Excipiuntur omnia neutra, modò non sit gradus comparativi, ut: *Ebur, eboris, femur, femoris*. Item adjectiva, *memor, memoris*, Quibus adduntur, *arbor, arboris, lepus leporis*. De Graecis consule Lexica, ut: *Hectoris, Antenoris*.

T producitur, ut: *nepotis*. Excipe *impotis à potis*.

V corripitur, ut: *Jovis, bovis*.

U in incrementis declinationis in Bus.

C corripitur, ut: *ducis*. Excipe *lucis, Pol-lucis*.

D producitur, ut: *incudis*. Excipe *pecudis*.

G producitur, ut: *frugis*. Excipe *conjugis*.

U ante L corripitur, ut: *consulis, praesulis, exulis*.

P corripitur ut: *auoupis*.

R corripitur, ut: *vulturis*. Excipe omnia monosyllaba, ut: *muris, ruris, Sictel-luris*.

T producitur, ut: *salutis*. Excipe *intercutis*.

Y in incrementis declinationis in Bus.

B corripitur, ut: *Chalybis*.

C corripitur, ut: *Erycis*. Excipe *bomby-cis, sandicis, Cerycis*.

D corripitur, ut: *chlamydis*.

Y ante G corripitur, ut: *Phrygis*.

N pro-

| N producitur, ut *Phorcynis*.

| P corripitur, ut *Cinyphis*. Excipe *Gryphis*.

| R corripitur, ut *martyris*.

De Incremento Nominis plurali.

1. A, E, O, incrementa pluralia longa sunt, ut: *quarum, harum, ambabus, rerum, rebus, magistrorum, horum, quorum*. Sic *nobis, vobis*.

2. I & U incrementa pluralia corripuntur, ut: *montibus, quibus, tribus, lacubus*.

De Incremento Verborum.

1. A in omni verborum incremento producitur, ut: *starems, stares, properamus; & dabamus, dederamus* secundo incremento. Excipiuntur *dāmus, dābunt, dāre*.

2. E in omnibus verborum incrementis producitur, ut: *lacereris, docerem, steterunt, dederunt*. Sic *flemus, flebam*, si ponitur incrementi norma *fles* secunda persona. Sic & *rebar*, si ponatur ejus norma monosyllaba inusitata *res* (pro *reris*) Placet enim quibusdam in verbis deponentibus fingendam esse vocem Activam, ad quam verborum incrementa dirigantur.

Exceptiones.

1. E ante R breve est in quovis praesenti & imperfecto conjugationis tertiae, ut: *agnoscere, legere*. Reris tamen vel rere producitur, ut: *loquereris, loquerere*.

2. E ante ram, rim, ro, corripitur, ut: *amaveram, amaverim, amavero*. Sic & *fecerimus, feceritis*. 3. Beris & Bere corripitur, ut: *amaberis, amabere*.

3. I, in verborum increm. corripitur, ut: *linquimus, amabimus*. Sic abitu Supinum.

Excipe.

Penultima praeteriti in lvi longa est, ut: *petivi, &*

B 5

pri-

& primum incrementum quartæ conjugationis, ut: *Ibam, ibo, ito: Venimus, reperimus*, præsentis temporis. Etiam longum habent: *Nolito, nolite, nolimus, nolitis; velimus, velitis; sumus, sitis*. Imus in præterito penultimam corripit, ut: *venimus, reperimus*.

Tempora secunda, syllabâ Rimus & Ritis finita, modò producuntur, modò corripiuntur à Poëtis, ut: *dederitis*.

4. O in verborum increm. producitur, ut: *facite*.

5. U corripitur, ut: *sumus, volumus*.

CAP. V.

De Speciali cognitione quantitatis syllabarum primarum.

ATque hæc de regulis Generalibus: sequuntur Speciales, in syllabis vel prioribus singulatim, vel finalibus.

Per priores intellige primam & medias.

Primæ syllabæ quantitas cognoscitur, vel compositione, vel peculiaribus regulis de Præteritis & Supinis.

Compositio est intellecta, vel præpositione additâ.

De Compositione.

1. Compositio intellecta est vocis simplicis, cuius quantitas è compositæ accentu apparet. *Seu: Additâ præpositione vel conjunctione dissyllabis, primæ quantitas cognoscitur accentu, ut: clarus, præclarus; fero, perfero; quidem, siquidem; enim, etenim.*

Annotatio.

Resolutio, seu vocis compositæ reductio ad simplices, compositioni contraria est. Eâ quoque primæ quantitas cognosci potest, ut: *Sicubi* habet pri-

primam longam, quia sic producitur. Sed hæc cogni-
tio reciproca est.

De Præpositione.

2. Præpositio in compositione tanta est, quanta
est extra compositionem, longa nimirum, vel brevis.

Præpositiones longæ sunt: à, è, de, di, pro, se, ut:
*amovco, evertto, dedignor, diligo, propono, proveho, profi-
cio, separo.*

Exceptio.

Di in dirimo & disertus corripitur.

Pro etiam in multis corripitur, ut: *procella, pro-
fano, profanus, profari, profectò, proficiscor, profectus*
(particip) *profiteor, professus, profugus, pronepos.*

In quibusdam communis est, ut: *procuro, pro-
fundo, propago, verbum (nam nomen significans vi-
cem producitur; progeniem, corripitur,) propello,
propulso.*

Præpositiones breves sunt: ab, ad, in, ob, per, re,
sub, ut: *abortus, aduro, in eo, obambulo, pereo, resumo,
subeo; Sic o in omitto: Sed re in refert, id est, utile est,
vel interest, longum est, quasi sit ablativus à re.*

De Præteritis & Supinis Regulæ.

Præterita & Supina dissyllaba habent priorem lon-
gam, ut: *movi, motum; novi, notum.*

Excipiuntur præterita sex: *bibi, dedi, fidi, scidi,
steti, tuli; Supina decem: citum, datum, itum, litum,
quitum, ratum, rutum, satum, situm, statum.*

Præterita geminata priorem brevem habent, ut:
momordi, fefelli. Reliqua polysyllaba sequuntur
quantitatem primorum, ut: *doceo, docui.*

Schol.

Apud Græcos præpositio *pro* brevis est, ut: *propontis.*
Sed apud Latinos longa est. Itaque *propino* origine pri-
mam habet brevem, Græcè enim est $\pi\rho\omicron\pi\iota\nu\omega$. Martialis
primam produxit. Sic *pròpola, pròlogus.* Græcè enim

$\pi\rho\omicron$

προώλης, πρόλογος. In Terentii tamen Eunucho est
prologus.

Re) *Rejeci primam longam positione, quia i inter duas vo-
cales duplex est.*

*Refert, cum habet significationem ferendi, habet primam
brevem ex Regula.*

Cicum) à *cicio*. Nam *cicum* à *cio* priorem producit. Sic
excitum à *cicio*, *excitum* à *cio*. Statum nonnullis videtur
hoc variare: Quaedam enim ab eo orta primam corripunt,
ut: *Status, statura, statua*: Quaedam producunt, ut: *sta-
turus, constaturus, obstaturus.*

CAP. VI.

De Speciali cognitione quantita- tis syllabarum mediarum.

E Mediis quantitas cognoscitur, antepenultimæ &
penultimæ, Regulis compositionis, vel terminati-
onis derivatorum. Antepenultimæ, Diminutione,
seu Imminutione syllabicâ: Penultimæ denique Ac-
centu.

Canones de Synthesi, seu compositione, & de-
rivatorum terminatione.

I. I & O in compositione medium corripitur, ut:
*Longi manus, Langhand / omnipotens, (nisi obster
positio, ut: artiscius, omniscius) quadri remis, armig-
er, fatidicus. Sic crucifigo, parricida, sacrosanctus,
bardocucullus.*

Excipe quæ in declinatione I mutant, ut: *quan-
tibus, quanticunque, qualicunque*: Item, *ibidem, ubiq,
meridies, postridie. Quotidie & quotidianus, I in u-
bicunq,* indifferens est, variant. Excipe etiam *quan-
docunque. Sic & quandoque, intrōduco, retrōvertor,
aliōquin, caterōquin.*

Schol.

Tro in *controversia* est *controversum*. Ego malo pro-
duci.

duci. Sidonius corripuit, sed non habetur pro classico. Pi in *sempiternus* corripio cum veteribus, nihil nobis obitante Scaligero, cui *sempiternus* est *sempæternus*. Sic & *viternus*. Est, qui usus est voce *Astrispices* pro voce *Astrosco*pi, & antepenultimam corripuit contra legem positionis, vitiosè igitur.

2. E medium in compositis ex verbo corrupto & integro (*facio*) indifferens est, ut: *liquefacio*, *tepefacio*. Sic *patefacio*, *expergefactus*, *rarefacio*, *labefacio*. Excipiunt *tremefacio* à *tremere*.

3. Patronymica in Ides contracta I producunt, reliqua corripiunt, ut: *Pelides*, *Priamides*.

4. Derivata in Inus I producunt, ut: *libertinus*, *vespertinus*, *anserinus*. (Excipiuntur, quæ significant materiam, ut: *faginus*, *crystallinus*, *cupressinus*. Sic *crastinus*, à quo *procrastino*.) Hæc sequitur *festinus* cum verbo *festino*.

5. In Itinus & antepenultimam & penultimam corripiunt, ut: *legitimus*, *finitimus*.

6. Denominativa in Ilis & Ile I producunt, ut: *hostilis*, *infantilis*, *senilis*, *puerilis*, *ovile*. Excipe *pestilis* à *pestilitas*, *dapsilis* à *dape*, *humilis* ab *humo*.

7. Verbalia in Ilis I corripiunt, ut: *flexilis*, *amabilis*, *facilis*, *agilis*.

8. I ante Bundus breve est, ut: *moribundus*, *furibundus*. Sic & *tremebundus*. Excipitur à nonnullis *sitibundus* à *situ*.

9. In denominativis in Tius, tia, tium & tas, quæ formantur à genitivo adjectivi integri, addito tia vel tas, præcedens i corripitur, ut: *bonitas*, *pueritia*, *duritia*, *amicitia*, *calvitium*, *servitium*, *sevitia*. At *nutritius* à *nutritu*, *peritia* & *inscitia*, I longum habent derivatione: hæc enim formantur à genitivo longo addito a.

10. In

10. In Ciliū antepenultimam corripunt, ut : *domiciliū*, Sic *superciliū*.

11. In Eriū e corripunt, ut : *Ministeriū*, *magisteriū*. At mystēriū, quia est *μυστήριον* Græcis.

12. In Oniū & onia o producunt, ut : *patrimoniū*, *sanctimonia*. Sic *matrona* à *mater* : nam *Ma-*
trona pro fluvio o breve habet.

13. U vel I ante mentum breve est, ut : *nocumen-*
tum, *alimentum*. Excipiuntur, quæ veniunt à lupino
itu vel ūru, ut : *argumentum*, *pavimentum*, *rudimen-*
tum, à ruditu, *indumentum*, *experimentum*, à supino
inufitato experitu, pro quo dicimus expertu : Item
instrumentum, *quasi instrumentum*, u producto ob
crasin.

14. U verborum in Utio longum est, ut : *cacur-*
io, *balbutio*. U verborum in Urio breve est, ut :
esurio. Excipe *scaturio*, *scalpurio*.

(Itaque quòd quidam è recentioribus U in nomi-
nibus scaturigo, cæcutiens & balbutiens corripue-
runt, id non est imitandum.)

15. Supina in Tum polysyllaba præcedente U ha-
bent penultimam longā, ut : *solutum*, *argutum*, *nutum*.

16. Item in Tum à præteritis in VI, ut : *cupivi*, *cu-*
pitum. Ab agnovi tamen & cognovi sunt agnitum
& cognitum penultimā brevi.

17. Supina in Itum à præteritis UI habent vocalem
penultimam brevem, ut : *Tacui*, *tacitum* ; *monui*,
monitum ; *alui*, *alium*.

Schol.

Domiciliū è recentioribus antepenultimam præduxit
Johannes Major Joachimicus. Non placet, nisi fortè præci
dixerint domicīle.

Scalpurio) *Ligūrio* quoque, unde *abligurio*, U longo.
Sic *prūrio*.

De Aphæresi, seu Diminutione syllabicâ.

Dimi-

Diminutio est syllabæ unius vel plurium de fine saltem detractio, quâ ad tres perveniatur, è quibus correptio vel productio accentu intelligitur. (Dico saltem: Quia interdum etiam aliquid de initio vocis detrahitur.) Fit igitur in quatuor minimùm syllabarum vocibus.

Quantitas igitur syllabarum antepenultimarum imminutione cognoscitur, si vox plurium syllabarum flexione minuitur: ut ad cognitionem antepenultimæ in *legeramus, destinatus, vel divitias*, minuo flexione numerum syllabarum, ut fiat, *legēram, destino, diviti.* Sic *feceritis, feceris; petiturus, petitu; videretur, viderer.* Hic interdum utimur resolutione, hoc est, vocis compositæ ad simplicem reductione, ut, *le* in *intolerabilibus*, corripitur: quia detractâ primâ *In*, & tribus posterioribus *bilibus*, relinquitur *tolera.*

Schol.

Destino) Vitiosus igitur est versus Juvenalis, Satyr. 4.
Et Domini gladiis jam destinata: sed olim.

De Accentu.

Si vox sit polysyllaba, accentus in penultimâ syllaba eandem longam facit, ut: *Romanus, amare, docere.*

Schol.

Accentus) id est, depressio, vel elevatio syllabæ.

Poly syll.) Tantùm penultima in polysyllabis dictionibus potest cognosci accentu.

Excipiuntur nonnunquam voces Encliticæ, ut: *omniaq;*. Regula enim derogat accentui. Cùm dico: *Omniaq;* penultima quidem sustinet accentum, sed tamen brevis est, quia neutra pluralia in a brevia sunt: sic itaque, pro & ita: sed tamen media brevi.

Excipi etiam solent ab hoc documento passa apocopen, ut: *Mercûri* (pro *Mercurie*) *Virgili* (pro *Virgilie*) vel contractionem, ut: *Tugûri* (pro *Tuguriis*) id est

est, vulgò pronuntiatur *Virgili*, & tamen penultima corripitur, quia per apocopen dicta in eâdem syllaba retinent accentum, in qua fuit in integris. Sed fortasse tu malis cum nonnullis è veteribus pronuntiare *Fábrici*, *Virgili*, *péculi*, *Túguri*, *Cónsili*, quod non improbârim.

Si vox sit polysyllaba, accentus in antepenultimâ penultimam brevem denotat, ut: *dóminus*, *légerant*.

Schol.

Accentus autem regulis & præceptionibus superioribus gubernatur, quæ si non observentur, vitiosus esse potest, ut: *obligat* pro *óbligat*, *intricat* pro *intrícat*, *súffocat* pro *suffócat*, *caléfacit* pro *caléfacit*, *affatim* pro *áffatim*, *dúntaxat* pro *dun-táxat*, *enimverò* pro *enim véro*, *depéculor* pro *depecúlor*.

CAP. VII.

De Speciali cognitione quantita- tit Vocalium terminantium.

ATque hæc de quantitate priorum, restat finalium syllabarum quantitas: quæ est vocalium vel terminantium, vel consonas terminantes præcedentium.

Vocales terminantes sunt vel quantitatis perpetuæ vel communis.

Perpetua quantitas est tam longarum, quàm brevium.

De Vocalibus longis.

Longæ sunt finales A, I, U, ut: *ama*, *antea*, *interea*, *quocirca*, *rogavi*, *uti*, *pyladi*, *cornu*.

Excipiuntur.

In A } 1. Nominativi, Vocativi & Accusativi,
} ut: *Musa*, *scamna*. (Sed Græci voca-
} tivi variant, ut: *Aneã*, *Orestã*.)
} 2. *ita*, *quia*, *eja*.

In I,

- In I. {
1. nisi, quasi.
 2. mihi, tibi, sibi, ubi & ibi, communia.
 3. Græca: Palladi, Pari.

Notatur & Sicuti apud Lucretium.
Schol.

Antea) Quò vobis mentes (rectæ quæ stare solebant
Antea) dementi sese flexere ruina. Hic *antea* dissyllabū est.
Pyladi) Græca I. declin. cum ad Latinorum declinatio-
nem in bus transeunt, ultimam producunt; Martialis:

Teg, putas Pyladi, Callidiorē parem.

Ænea) Æneā apud Virgilum, Orestā apud Ovidium.

Exceptio.

Resolutio seu sectio regulæ derogat, ut: *postea*,
ultimam habet longam, sed resolutione seu divisione
fit brevis *post-ea*.

Schol.

Sectio) Græcè τμήσις, est dictionis compositæ in suas
simplices resolutio.

Observatio.

Syllaba in compositione longa fit sectione, id est,
dissolutione compositi, brevis; & syllaba in compo-
sitione brevis fit dissolutione longa. Exemplum:
crucifixus, crucifixus.

De Vocalib. brevibus.

E, & Y, breves sunt, ut: *cubile, lege, demente, feli-
ce, moly.*

Monosyllaba in y longa sunt, ut: *Gry* (*grunniētiſ*)

Exceptiones longarum.

1. Ablativi quintæ declinationis producuntur, ut:
die, spe, re, fide. Sic & *fame.*

2. Secundæ personæ singulares Imperativorum
conjugationis secundæ, ut: *doce.* Sed *cave* & *vale*,
quandoq; corripunt e.

3. Adverbia, *ferè, fermè, hodie*, & flexa à Vocati-

C

VO

vo declinationis secundæ, ut: *doctè, candidè, præter
benè & malè.*

4. Græca: *Epitome, Musice.*

5. Monosyllaba: *me, te, se, de, è, ne prohibendi.*

De Vocalib. communibus.

Ambigua seu communia sunt in O finientia, ut:
*Cato, sermo, dulcedo, amando, imò, quando, addo, asto,
ego, ergò.*

Excipiuntur: Longa sunt 1. Monosyllaba, *do, sto,
flo, no, ô pro.* 2. dativi & ablativi, ut: *domino, amando
(ab amandus) Sic Ergò pro causâ, meritò, falsò, tantò,
quantò, ideò, adeò.*

Brevia sunt: *duo, scio, modò, quomodo, postmodo,
citò, ilicò.*

Tantum de vocalibus terminantibus.

Schol.

Fere) veteres tantum ultimam productam, ut Virg. *Auso-*
nus igitur, qui corripuit, hic deserendus est.

Imò) Exemplum correptionis est in Martiali.

Amando) sic loquendo.

*Gerundia in Do naturâ longa sunt (ut No in domino) usque
brevia.*

Do, sto) horum composita sequuntur regulam, id est, in-
differentia sunt, ut: *peffundo.*

Ego) frequentius corripit ostendit compositio, quâ aliâs
primæ syllabæ quantitatem cognosci diximus, ut: *Egòmer.*
Productionis exempla sunt apud Ovidium & Callum, quos
Ausonius est imitatus.

CAP. VIII.

De Speciali cognitione quantita- tis vocalium Consonam præce- dentium.

VOcales consonam finalem præcedentes sunt vel
breves, vel longæ.

De

De brevibus Regulæ.

1. Quælibet vocalis ante L, R, M, B, D, T, brevis est, ut: *vigil, epar, pater, honor, decem, sub, illud, caput.*
Schol.

Pater) η & ω vocales longæ interdum fiunt breves, cum ad Latinos transeunt: *Pater* enim, *Mater*, *Hæctor*, *Nestor* & ο habent breves, à *πατήρ, μήτηρ, ἕκτωρ, Νέστωρ.*

Exceptio.

At producuntur peregrina: *Iob, Iacob, Baal, &c.*
Item *Pol, Sol.* Sic monosyllaba: *par, far, Lar, Nar, ver, cur, fur,* & Græca in *er per eris* Latinè flexa, ut: *aër, æther, crater.*

2. I, U, & Y, ante S breves sunt, ut: *dulcis, malus, manus* sing. nominat. *chelys.* At *Theiys* apud Virgil. *Teq, sibi generum Theiys amat omnibus undis;* in fine producitur,

Excipiuntur:

I ante S: 1. Dativi & ablativi plurales, ut: *Musis, dominis;* & Nominativi crescentium per penultimam longam, ut: *lis, glis, Salamis, Dis, Simois.*

2. Secundæ personæ singulares conjugationis quartæ, ut *audis, dormis:* sic *vis, fis, sis* pro *si vis, cum ortis, possis, præs, velis.*

3. Secundæ personæ futuri quasi præteriti, *legeris, amaveris, docueris.* Unde & pluralis penultima longa legitur: *Vitam dederitis in undis.*

Schol.

Legeris, amaveris, docueris, &c. ultimam habent communem,

U ante S: 1. monosyllaba: *grus, mus, plus:* & Genitivo crescentia per u longum: *salus, palus, virtus, &c.*

2. Contracta omnia: *Amathus, Sapphus, manus,* numero plurari & genitivo singulari (pro *manus* & *manues*) Sic *Jesus Incoës.* C 2 Quæ

De longis Regulæ.

I. Quælibet vocalis ante C & N finales, longa est, ut: *lac, hater, dic, hoc, duc, Titan, splen, Delphin, Xenophon, Phorcyn.*

Exceptio.

Variant primò in C. 1. brevia: *nec, donec*; 2. Communia: *hic*, pronomen, & *fac*, quod magis tamen breve est, à *face*.

Secundò in N. 1. in *En* nomina, quæ genitivum in *inis* mittunt, ut: *carmen, pecten*. 2. Græca in *on, in* & *an*, à nominativis brevibus, ut: *Nion, Pylon, Daphnin, Alexin, Majan.*

3. *Forsan, forsitan, tamen, an, in, viden^a, men^a, dein^a, exin^a, proin^a, scin^a, audin^a, egon^a, satin^a.*

II. A, E, O, ante S finalem longæ sunt, ut: *amas, doces, nepos.*

Excipiuntur.

In As 1. Græca per *adi* flexa, ut: *Pallas, lampas*.
2. Accusativi plurales declinationis secundæ in bus.

In Es: 1. crescentia dativo per penultimam brevem: *seges, teles, miles*. Præter: *abies, aries, Ceres, fides, paries, res, spes, & pes, cum compositis.*

2. Græca pluralia: *Arcades, Thraces, Atlantides*; & singularia neutra: *Cacoëthes, Hippomanes*: Item *es à sum* cum compositis; *ades, pores, & c. & penes.*

In Os 1. *os ossis, compos & impos.*

2. Græca in os per *ὀμικρον*: *chaos, melos, delos.*
Schol.

Devorat os oris, quicquid lucratur os ossis.

CAP. IX.

De exemplis seu auctoritate.

ATque hæc sufficiant de Regulis, tum Generalibus, tum Specialibus: restant pauca de Exemplis monenda. Ex-

Exemplis cognoscitur syllabæ quantitas, si certis regulis destituimur, adductâ autoritate, ex poeta probato & classico, qualis Virgilius, qualis Ovidius, Tibullus, Propertius. Quorum tamen virtutes sunt imitandæ, vitia, si qua fortè sint, notanda.

Huc pertinet singularis observatio Licentiæ poeticæ & necessitatis metri, quâ fit, ut aliquando poetæ breves producant, & contrâ longas corripiant, ut :

Virg. Ibitis Italiam.

È in *melos* apud Persium per liquidam producitur :
Cantare credas Pegaseum melos. Estque apud Virg. Græcorum more: *Liminaq; laurusq; Dei.*

Et utilis est admonitio; cùm boni poetæ variant in quantitate metrorum, potior valeat autoritas. Autoritas major minori derogat.

Schol.

Regulis) Regula est præceptum usu observatum & comprobatum.

Exemplis) Exemplum est laudata boni poetæ autoritas, ut *contumelia* antepenult. producitur *me* exemplo Terentii : *Mulierum* exemplo Martialis.

Liminaque laurusque) Observatio ista hujus loci esse potest: Monosyllaba brevia interdum à poetis more Græcorum producuntur.

Autoritas maj.) Jambicus est Senarius. Virgillii & Ovidii autoritas potior est, quàm Sidonii, Prudentii, Sedulii, Palingenii, Aufonii.

In Bobus primam Ovidius producit, Aufonius corripit. Illum igitur potius imitaberis. Hujus loci est hæc commonefactio : *In dubiis tutius est sequendum.* Itaque mediam in *mediocri* produco, non corripio : *Ti* in *neutiquam* (pro nullo modo) cum doctioribus longum facio, non breve. Mediam in *prestolor* invenio correptam apud Buchananum. Productionis exemplum Micyllus idoneum certumque se

nem ego approbo. Et ista: *Naturâ longa usu bono-
rum poetarum potest esse brevis* ut: Do gerundi Ovid.
Et rerum Dominus non cupiendo sui. Do in cupiendo
naturâ longum est: usu breve.

Sed naturæ debet cedere exemplum unius poëtæ,
præsertim minùs probati, ut: *involutum* habet pen-
ultimam longam, à supino, involutum. Non igitur
imitaberis Prudentium eandem corripientem.

Anathema habet penultimam brevem, quia est à
voce *ἄνωμα*: sed Prudentius produxit hîc, *Dum ve-
titis insigne legens anathema favillis*, & alibi, vel igno-
rantia Græcæ linguæ, vel propter concursum multa-
rum brevium poëtica quâdam licentiâ. Id doctissimo
Micyllo in exemplum non videtur trahendum esse,
cui ego assentior. Itâ primam in *Thesis & Thema* sem-
per corripio.

Et tantum de tempore & quantitate syllabarum,
sequitur de pede.

CAP. X.

De Pedibus.

PES est pars metri syllabarum temporibus dimensa.
Estque duplex: Bisyllabus & Trisyllabus; ut-
terque purus & mistus.

Bisyllabus purus est, vel ex duabus longis, Spon-
deus, ut: *mystax*: vel ex duabus brevibus, Pyrrhi-
chius, ut: *pētē*.

Bisyllabus mistus est vel ex brevi & longâ, Jambus,
ut: *vōlāns*; vel ex longa & brevi, Trochæus, quem
alii vocant Choræum, ut: *āvā*.

Trisyllabus purus est, vel tribus longis, Molossus, ut
infēlix: vel ex tribus brevibus, Tribrachys, ut: *lēgērē*.

Trisyllabus mistus duplex est: vel duabus similiter
junctis, vel iisdem disjunctis.

E dua-

E duabus similiter junctis, tum initio duabus longis & unâ brevi, Palimbachus, ut: *cāntāre*: vel duabus brevibus & unâ longa, Anapæstus, ut: *flū vī*; tum in fine ex unâ longa & duabus brevibus, Dactylus ut: *Tūyrē*; vel unâ brevi & duabus longis, Bacchius ut: *ēgēstās*.

E duabus similiter disjunctis: vel è longis extremis & mediâ brevi, Creticus seu Amphimacer, ut: *vēr l'ērāns*; vel è brevibus extremis & mediâ longâ, Amphibrachys, ut: *bēnignūs*.

Qui verò apud veteres numerantur tetrasyllabi, Pentasyllabi & Hendecasyllabi, non tam pedes quàm Syzygiæ, id est, conjugationes pedum nominandi sunt. Hinc Dispondeus - - - -: Dijambus v - v -: Ditrocheus - v - v -: Proceleusmaticus v v v v -: Choriambus - v v -: dicuntur.

Schol.

Pes est metri pars certo syllabarum numero & ordine definito. Ita dictus per Metaphoram; Quia ut in incessu animalium alternis vicibus pedes & attolluntur & deprimuntur: Sic metri dimensio per pedes recipit *ἀγρῶν* & *ἰέσις*, id est, elationem (seu sublevationem) & submissionem.

Veteres) Veteres figuras pedum faciunt duas: simplicem, ut est Trochæus: compositum, ut est Ditrochæus. Tales sunt Jonicus à minori v v - -: Jonicus à majori - - v v Antispæstus v - - v: Pæon primus - v v v: Pæon secundus v - v v: Pæon tertius v v - v: Pæon quartus v v v -: Epitritus primus v - - -: Epitritus secundus - v - -: Epitritus tertius - - v -: Epitritus quartus - - v.

Diligentissimus vir Rennemannus negat usum tetrasyllaborum pedum in doctrina dimensionis poëticæ necessariū esse. Cujus sententiæ multos habet approbatores.

CAP. XI.

De denominatione ac distinctione metri è pedum numero.

A Dhuc habuimus metri materialia, sequuntur formalia, quæ sunt in Notatione & Compositione.

Notatione, figura & species metri disquiritur.

Ex figurâ metrum est vel minimum, duorum, vel plurium, & ad summum octo pedum, qui vel iidem sunt, vel diversi.

Schol.

E pedum numero distinguitur metrum in dipodicum & hyperdipodicum. Illud constat è duobus tantum pedibus: Hoc è pluribus, quàm duobus. Illud simplex, hoc compositum, seu mixtum quidam vocant, hoc est, variatum pedibus.

Duorum, ut: *Dicite laudes
Undiq; gentes
Omnipotenti.*

Quæ metra constant è dactylo & spondeo.

Schol.

Tales versus dicuntur Adonii, ab Adonide Veneris amasio, quem ab apro interfectum cum lugeret Dea, hoc carmine usa narratur. Vocantur idem Dimetri à numero pedum vel locorum.

Plurium pedum, ut:

1. *Mæcenat atavis editis regibus:* Quod metrum quatuor pedibus, molosso, anapesto & duobus dactylis constat.

Schol.

Plur. ped) Tales versus dicuntur Polymetri.

Mæcenat) Hoc metrum dicitur Asclepiadicum. Alii vocant Choriambicum à pede choriambo - *uv* - qui hic habet præcipuas. Præterea dicitur hic versus Tetrameter à numero quatuor locorum.

2. *Passer*

2. *Passer deliciae meae puella.*

Artium radix nimis est amara.

Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

Hi versus constant quinque pedibus. Primus è spondeo, dactylo, choreis tribus.

Secundus è choreo, spondeo, dactylo, choreis duobus.

Tertius è dactylis duobus, spondeo, & duobus anapaestis.

Schol.

Hi versus dicuntur Pentametri à dimensione quinque locorum. Primus dicitur Phaleucius à Phaleuco, & Herdecasyllabus, quia habet syllabas undecim.

Secundus Sapphicus à puella Sappho.

Tertius Elegus, seu Elegiacus ab ἔλεος, quod in luctu dici solet, & λέγω. Primum enim hoc genere carminis res lugubres comprehensæ sunt.

3. *Arma virumq; cano, Troja qui primus ab oris.*

Qui versus sex numero pedibus, videlicet duobus dactylis, duobus spondeis, rursum dactylo & spondeo absolvitur.

Schol.

Tales versus dicuntur Hexametri Epicilac ἔπι ἄκρον, quod est carmen per synecdochen generis pro specie, propter vers^{us} ἀξίαν seu excellentiam.

4. *Novis querebus infidelis Allobrox dolum struit.*

Qui versus octo pedibus, iisdemq; omnibus jambis constat.

Schol.

Dicitur Octometer à numero pedum vel locorum.

CAP. XII.

De specie metri.

Species est notatio, quâ disquiritur primumne metricum sit, an ortum, seu deductum aliunde: Pri-

mum, ut: *Virtutem colito: nam sic transitur ad astra.*

Ortum, ut: *sic transitur ad astra.* Ex hexametro hoc Pherecratium existit. Constat enim è spondeo, dactylo & spondeo.

CAP. XIII.

De collocatione pedum.

Compositio metri est pedum inter se coaptatio. Hæc absolvitur collocatione & terminatione.

Collocatione pedes in regiones distinguuntur.

Regiones sunt pedum stabula, seu loca.

Estque duplex: stricta, vel solutior, seu licentiosa.

Stricta collocatio est, quæ in omni regione, vel in certâ aliquâ unicum tantum pedem sistit, ut: *plaudite gentes.*

Hic primâ regione semper Dactylus, secundâ verò semper spondeus requiritur.

Licentiosa seu laxa est, quæ in quibusdam regionibus plures uno pede admittit: idq; minùs vel magis.

Minùs licentiosa, quæ in quibusdam regionibus propter collocatum pedem variat, ut in Hexametro: *Tityre, tu patula recubans sub tegmine fagi.*

Primâ, secundâ, & tertiâ regionibus adhibentur alicubi pro dactylis, spondei: Sic in quarta pro spondeo dactylus, nec tamen alii: quemadmodum in quinta non nisi dactylo & in sexta non nisi spondeo uti licet, qui tamen in dactylum aliquando resolvitur, sed rarissimè.

Magis licentiosa est, quæ pluribus diversis in variabili regione pedibus alternatur.

Notandum hîc, quod de ultimâ pedis syllaba, id est finali metri tempore non disquiritur, sed illud prorsum est exemptum legibus, seu indifferens.

Schol.

Ultima cujusvis versûs est lege soluta. *Seu:*

Ultima cujusvis versûs communis habetur.

CAP.

De terminatione seu depositione
metri.

Terminatio est metri finalis perfectio. Aliàs dicitur Depositiō, quasi desinentia.

Terminatio est legitima vel illegitima, seu regularis vel irregularis.

Legitima, seu analogā, est perfecta seu integra, quando in metro syllabæ absolutos pedes conficiunt, ut :

Vitam quæ faciunt beatiorē.

Syllabæ quinque absolutis pedibus, spondeo, dactylo, & tribus trochæis currunt. Itaque talia metra Catalectica dicuntur.

Illegitima seu ἀνόμαλ^{ος} est deficiens vel redundans : Illinc catalecticum ; hinc Hypercatalecticum metrum dicitur.

Catalecticum est, quando syllaba deficit, ut : *Ubi- que te Dei manus prehendet.*

Constat enim quinque jambis, & una syllaba, quæ jambus dimidius est.

Hypercatalecticum est, cū syllaba redundat, ut : *Et nil potest eum latere.*

Hic enim sunt quatuor jambi completi, & redundat syllaba in fine. Aliàs dicitur Hypermetrum.

Hactenus de principiis metri ; sequitur consideratio affectionis, quæ vulgò scansion dicitur : Latiniūs mensuratio versūs.

Schol.

Perfectus) Perfectio est vel ἐντελής perfecta, vel ἀτελής imperfecta, vel ὑπερτελής plusquamperfecta Ex Mathesi & Physica hæc distinctio est.

Terminatio deficiens, imperfecta : redundans, plusquamperfecta terminatio est.

Talia

Talia metra Acatalect.)

Versus Acatalectus est, qui omnibus suis partibus est absolutus. Catalectus, cui deest una syllaba in fine: Hypercatalectus, cui redundat.

CAP. XV.

De Scansione.

Scanſio est metri per singulos pedes dimensio.

Schol.

Scanſio) Dimensio seu mensuratio est spatium, quo totus versus velut in certas partes dividitur. Veteres vocant, Quantitatem carminis, & ex ea dividunt versus in monometros, dimetros, trimetros, tetrametros, pentametros, hexametros.

Itaque Scanſio fit distributione & enumeratione pedum.

In hac syllabæ longæ longiore, breves verò breviorē morâ efferuntur.

Schol.

Scanſio duplex est: altera per monopodiam; altera per dipodiam perficitur.

Per monopodiam mensuratio est, quæ fit per pedes simplices, ut in hoc: *Dax labor almus opes paupertatemq; voluptas*, pes quilibet regionem conficit.

Per dipodiam, quæ fit per pedes duos conjunctos, ut dimensio Trochaicorum & Jambicorum Terentii vel Plauti. Hinc metrum aliud Monopodicum, aliud Dipodicum dicitur.

Monopodicum est quod simplici pede regionem complet.

Dipodicum, quod duplici pede regionem conficit. Estque vel Monometrum, quod duobus, vel Dimetrum, quod quatuor, vel Trimetrum, quod sex, vel Tetrametrum, quod octo pedibus constat. Sed Græcorum hæc distinctio potius est, quàm Latinorum Poëtarum. Hinc Trimetrum Jambicum Græcorum, Latinis est Senarium, & Tetrametri versus Græcorum Latinis sunt octonarii.

CAP.

De Enallage seu Metaplasmo in versibus, & primùm de Crasi.

Scansioni accidunt metaplasmus seu mutatio, &
Cæsuræ.

Mutatio fit vel in syllabis, vel syllabarum tempore.

Mutatio seu metaplasmus in syllabis fit crasi vel
auxesi.

Crasis est syllabarum contractio.

Hæc fit collisione vel elisione: Collisione in voca-
libus, elisione in consonantibus.

Collisio vocalium est Synizesis & Synalœphe.

Synizesis est duarum vocalium in unam contractio
seu conflatio, ut: *cui nec apud Danaos.*

Hic *cui* est pro unâ syllaba longa, cum tamen na-
turâ habeat primam brevem, alteram longam: Sic
Orpheï pro *Orphëi*, quæ Synæresis dicitur.

Synalœphe est duarum vocalium, finalis scilicet in
primo, & initialis in secundo vocabulo, conjunctio,
ut: *Quo quisque est major: ubi scanditur qu'est, non
que est.*

Fum nil levius, qui vana est gloria mundi.

Nonnunquam Synalœphe omittitur poeticâ licen-
tiâ, ut:

O utinam tum, cum Lacedæmona classe petebat.

Item: *Heu ubi pacta fides: Ibi neque O, neque heu,*
scansione prætereuntur: quæ tamen omissio ex pro-
batis auctoribus in quibusdam tantùm affectum mo-
ventibus vocalibus locum habet.

Schol.

Synalœph.) Synalœpha non tantùm in eodem versu, sed
& in duobus, quanquam rarius locum habet. Virgil.

Quibus orbis in oris. Jactemur doceas ignari hominum-
que locorumque Erramus,

Hic

Hic ultima vocalis præcedentis versus absorbetur à prima sequentis.

Elisio consonantium in Ecclipsi & Parellipsi peripicitur.

Ecclipsis est, quâ consonam, in fine dictionis sequente vocali alterius vocabuli, unâ cum sibi præcedente vocali eliditur: idque usitatius in uno versu: ut Virg. 9. Æneid. 5.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Qui versus scanditur: *Monstr' horrend' informe, &c.*

Ita quoque s consona in fine dictionis olim elidebatur, ut:

Inter se coisse viros & decernere bello.

Sic Terentius sæpè usus est hisce: *Vin' pro visne, viden' pro videsne.*

Rariùs in duobus: ut cùm in versu hypermetro redundans syllaba à prima sequentis à vocali incipiente absumitur, ut: Virg.

*Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Aut foliis undam, &c.*

Parellipsis est cùm consona in medio dictionis eliditur. Sic Terent. *Ile pro Ille*, sæpè poluit.

Haecenus Crasis, sequitur Auxesis,

CAP. XVII.

De Auxesi in Dialysi seu Diæresi, Epenthesi & Diplasiismo.

Auxesis est in dissolutione seu Dialysi: aut Insertione.

Dialysis est resolutio unius syllabæ in duas, ut: *ahenus*, pro *aneus*, *soluit*, pro *solvit*: Sic Ovid. Fast. l. 5.
Posthumio Lenas persolvere mihi.

Alio

Alio nomine dicitur Diæresis, ut: *aulai pro aula.*

Insertio est in Epenthesi & Diplasiasmo.

Epenthesis est insertio syllabæ in dictionis medium, ut: *indugredi, induperator, indupediis*: pro *ingredi, imperator, impeditus.*

Diplasiasmus est conduplicatio consonantis in medio vocabuli, ut: *relligio*, pro *religio*; *retulit* pro *retulit.*

Schol.

Dialysis) Catullus. Formosa gaudet Venus loquela. Hic gaudet est trisyllabum, ut linguarum alicubi apud Eobanum.

CAP. XVIII.

De mutatione syllabarum in Systole & Diastole.

Dicta est mutatio in syllabis, sequitur ea, quæ est syllabarum temporis.

Hæc verò Systole & Diastole comprehenditur.

Systole syllabam naturâ longam corripit, Sic Ovid. *Tu cave defendas, quamvis mordebere dicis.* syllabam *ve* in *cave* naturâ longam corripit.

Diastole (aliâs Ectasis) contrâ syllabam naturâ brevem producit. hinc Virg. *Exercet Diana choros.* *Di* in *Diana* producit: quamvis Lucanus l. Pharsaliæ eandem corripit:

Et tauro Scythico non mitior ira Diana.

Cæterum in hisce mutationibus non nisi probatissimorum auctorum exempla imitanda sunt.

Tantum de mutatione Ictationis, restat cæsuræ.

Schol.

Diastole) Ovid. *Flebilis indignos elegia solve capillos.* Hic solutâ diphthongo *ei*, *e* mutatur in *e* longum. Propertius constrictus metri necessitate. *Et domus intacta te tremis*
Arabia

Arabia. Arabs enim habet primam brevem. *Dederitis* pro
dederitis apud Ovidium necessitate metri propter concur-
sum plurimum brevium Vide P. Rami Scholar. Gramm. lib. 14.

CAP. XIX. De Cæsura.

Cæsura est concinnum metri segmentum, quo
syllaba post pedem relinquitur.

Schol.

Cæsura) Sic dicta, quia syllaba ex dictione cæditur, &
post quemvis pedem relinquitur.

Estque in syllaba post pedem dictionem terminan-
te, metro tam necessaria, ut hoc per eam à prosa orati-
one distingui quidam judicent.

Vitanda igitur sunt metra omni cæsura carentia,
in primis autem in versibus heroicis.

Schol.

Necessaria] Anapæstici puri excipiuntur, hoc est, puri
anapæstici nullam habent cæsuram, ut: *Tertia misit buccinæ
signum.* Apud Senecam;

Omni cæsura carentia) Id est, quæ singulis dictionibus
pedem absolvunt, ut: *ponite luctus, sumite vinum, pellite cu-
ras* (è quo hexametro fiunt tria Adonica. *Nobis dulcia car-
mina, nobis dulcia vina.* Tales versus vocantur etiam A syn-
deti Scalig. in poëtica pag. 191. Itaque vitiosi sunt.

Tanta præterea vis & gratia est cæsurae, ut instar
Systoles brevem syllabam metrum intersecantem pro-
ducat, quod Ovidius metro.

*Omnia vincit amor & nos cedamus amori: or in
amor* producens, testatur. Sic Virg.

*Ostentans artem pariter arcumque sonantem. Ter
in pariter* naturam brevem propter cæsuram producit.

Cæsura autem in metro non semper eadem est:
aliquando enim post primum pedem, aliquando post
plures, nunquam verò post penultimum metrum in-
tersecat. Virg. 4. *Æneid.*

Infe-

Infelix Dido, nunc te fata improba tangunt.

Cæsura est in *lix* post primum Spondeum.

Claudian. verò:

Scilicet in vulgus manant exempla potentum.

Cæsuram in *gus*, post dactylum & spondeum constituit: At Ovid. in Heroid. epist. *Usque metu micuere sinus, dum victor amicum*: post tres dactylos cæsuram in *nus* posuit.

Insuper sæpè unica est in metro cæsura, ut: *Non nisi laurigerus dat Phœbus premia doctis*. Unica hinc cæsura in *rus* adhibita est.

Sæpè est multiplicata, ut duæ, tres, aut ad summum quatuor in eodem metro inveniuntur.

Duæ sunt in illo Virgil. Georg. 1.

Exit & obducto late tenet omnia limo.

In *lio* & *re* syllabis, unde geminata cæsura dicitur. Sic Claudianus: *Scilicet in vulgus manant exempla regentum*.

Si tres sint, dicitur triplicata.

Tres sunt in illo Tibul.

Semper, ut indicar, blandos offers mihi vultus: in *car, dos, & fers* syllabis.

Quatuor ad summum in illo Virg. sunt:

Ille latus niveum molli fulcus Hyacintho:

In syllabis, *tus, um, li, & tus*.

Tantum de metri principiis tum materialibus, tum formalibus, & affectionibus, sequuntur genera.

CAP. XX.

De divisione Metri & in specie

De Jambico.

Metrum est simplex vel compositum.

Simplex denominatur à pede, qui in eo

D

domi-

dominatur. Estque è dissyllabis vel trissyllabis. E
dissyllabis pedibus est Jambicum & Trochaicum. E
trissyllabis Dactylicum & Anapæsticum.

Schol.

E quadrissyllabis alii addunt 1. Choriambicum & Anti-
spasticum. 2. Jonicum & Pæonicum.

Jambicum purum meris constat jambis. Impu-
rum in paribus locis solum jambum, in imparibus ve-
rò etiam spondeum, dactylum, anapæstum aut tribra-
chyn recipit, ultimo loco solum jambum, excepto
Scazonte.

Estque Monometrum, vel Polymetrum.

Monometrum seu Binarium ut: *Vivit Deus, Aca-
talectum. Regnatq; semper.* Hypercatalectum.

Polymetrum est Dimetrum, Trimetrum vel Te-
trametrum. Lat. Quaternarium, Senarium vel Octo-
narium.

Dimetrum integrum seu acatalectum est. *Veni
redemptor gentium. Beatus autor seculi Mortale cor-
pus induit. Fruar quiete languida.*

Mutilatum seu catalectum est, *Fruar quiete dulci.*
Hoc dicitur Anacreonteum.

Trimetrum est Regulare vel Claudicans.

Regulare in fine habet Jambum vel Pyrrhichium,
Latinis est Senarium κατ' ἐξοχήν, ut: Hor. *Beatus
ille, qui procul negotiis. Quæ seculo alteri profunt, sere
arbores.* Ex Afranio, ut: *Deo volente quisq; ridet
atque flet.*

Claudicans, quod ultimo loco Spondeum pro
Jambo recipit. Aliàs Choliambicum à claudo jam-
bo. Græcis est versus σνάζων Scazon. Martial. *Apol-
linarem conveni meum, Scazon.*

Tetrametrum, ut: *Rector poli, soli, sali, Spes &
salus mortalium.* Acatalectum. *Benignitate pro tua
mei misertus adsis.* Catalectum, CAP.

CAP. XXI.
DE TROCHAICO.

Trochaicum purum meris constat trochæis.

Impurum in locis paribus præter choreum etiam spondeum, dactylum, anapæstum & tribrachyn; in locis verò imparibus solum choreum, aut ejus loco tribrachyn recipit, ultimo loco solum choreum vel spondeum. Crescit à Monometro ad Tetrametrum.

Monometrum vel binarium: *Christe nos tege.*

- u - u - Est hypercatalectum.

Dimetrum vel quaternarium:

Acatalectum.

- u - u - u - u

- -
Seculi beatus Autor

Induit mortale corpus:

Brachycatalectum, id est, cui deest pedis medietas.

- u - u - u

Carnem ut innocenti
Carne liberaret.

- u - u - u -

- -
Catalectum.

Casta matris viscera

Vis replevit calica.

Trimetrum vel senarium:

Acatalectum.

- u - u - u - u - u - u

- - - -
En domus cordis pudici fit repente

Maximi templum Dei verbo sacratum,

Brachycatalectum seu mutilatum.

- u - u - u - u - u

- - - -

D 2

Quem

*Quem Johannes ventre sub parentis
Gestans adesse demonstravit.*

Catalectum.

- u - u - u - u - u -

- - - - -

*Edidit partu Deum virgo parens,
Angelus quem Gabriel prädixerat,
Nox amoris & quietis conscia.*

Tetrametrum: Acatalectum.

- u - u - u - u - u - u - u - u

- - - - -

*Lacte pascitur pudica virginis suæ parentis,
Qui non alites sub axe sivit ullos esurire.*

Catalectum.

- u - u - u - u - u - u - u -

- - - - -

*Gratulatur universa multitudo cœlitum,
Angeli simul canentes gratias agunt Deo.*

Tanta est cognatio Jambici & Trochaici, ut additâ
vel demtâ in fronte syllabâ unicâ alterum ex altero fiat,
quod & reciprocatione fieri posse ostendit hoc ex-
emplum.

Senarius seu Trimeter.

Troch. *Optimum jus, lex amica, vox diserta.*

Jamb. *Diserta vox, amica lex, jus optimum.*

Est & aliud impurum, quod vocatur Phalæcium.
Id spondeo, dactylo & tribus Trochæis constat. Vo-
catur Hendecasyllabum à numero syllabarum, ut:
Martial.

*Vitam qua faciunt beatiorum,
Fecundissime Materialis, hæc sunt.*

- - - u u - u - u - u

Schol.

Alii referunt ad metrum Antispasticum, (ut sit trimetrum,

CATA.

Catalectum) à pede Antispasto, qui metiuntur sic :

- - u u - - u u - -

In initio pro Spondeo sumitur interdum Jambus vel Trochæus.

Huc etiam pertinet Sapphicum, constans amphimacro, syllabâ longâ, dactylo & duobus trochæis :

Integer vite scelerisq; purus.

- u - - - u u - u - u

Schol.

Aliis est species Epichoriambici, ut Trimeterum sit Catalectum, sic :

- u - - - u u - u - -

dimensione factâ per dipodiam.

CAP. XXII.

De Choriambico.

EX Syzygiâ seu conjunctione Chorei & Jambi existit Choriambicum metrum, quod purum metris constat Choriambis, id est, Choreis & Jambis, excepto ultimo loco : Impurum verò, pro Choriambo recipit interdum duos Jambos, interdum Jambum & Spondeum, vel Choreum & Spondeum, vel Spondeum & Jambum, vel Spondeum & Choreum, interdum primam & ultimam Choriambi in duas breves resolvit. Exemplis res patet :

Lydia, dic per omnes. Horat.

Dimetrum Catalecticum est, sicut & hoc :

O moderator orbis, - u u - u - -

Propitius fidelium, Dimeter est acatalectus.

- u u - u - u -

Vota tuorum gemitusq; sancti,

Trimeterum Catalecticum, Sic :

- u u - - u u - u - - Id est,

- u u - - u u - u - -

D 3

Tri-

Protege nos omnipotente dexterâ,

Trimeterum seu tenarium integrum :

- u u - . u u - u - u - vel

- u u - - u u . u - u -

O sacri da munera nobis preciosa flatûs,

Choriambicum Alcaicum Tetrametrum, seu Octo-
narium Catalecticum. Cujus typus est :

- u - - - u u - - u u - u - - Vel

- u - - - u u - . u u - u - -

CAP. XXIII.

De Dactylico.

Dactylicum purum meris dactylis constat. Im-
purum pro dactylo etiam recipit spondeum (ra-
rissimè anapæstum vel proceleusmaticum.)

Dimetrum acatalectum constat duobus dactylis.

. u u - u u *Dicite carmina.*

Dimetrum catalectum constat dactylo & spondeo
& dicitur Adonium, ut :

Sic ubi toto

Rideat aeo

Vita beata.

Quod inversum vocatur Hymenæum, ut : *Hic*
surrus fuit, Virg.

Dimetrum hypercatalectum constat dactylo, spon-
deo & semispondeo, ut : *Pulvis & umbra sumus.*
Hoc vocatur Simonideum.

Trimeterum acatalectum, quod vocatur Glyco-
nium, constat spondeo & duobus dactylis, quale est
hoc Horatii : *Sic te diva potens Cypri.*

Frequenter eo Seneca utitur in Choris :

Ta dem regia nobilis.

Antiqui genus Inachi

Eratrum composuit minas, - - - u u - u u

Huc

Huc referri potest Alclepiadeum, quod spondeo, dactylo, syllabâ longâ, & duobus dactylis constat, ut: Horat. *Mæcenas atavis edite regibus.*

- - - u u - - u u u u. Hoc metrum nullo loco alium pedem recipit. Et constituitur à multis species Choriambici. Alii vocant Antispasticum Trimeterum acatalectum, qui sic metiuntur per dipodiam

- - - u u - - u u - u -
Trimeterum catalectum, quod vocatur Pherecratium, constat spondeo, dactylo & spondeo, ut: *Sic, sic itur ad astra.*

- - - u u - -
Trimeterum hypercatalectum, quod dicitur Alcmanium, dactylo, spondeo & dactylo cum lemispondeo comprehenditur, ut: *Ne dubita, nam vera fides.*

- u u - - - u u -
Hoc tamen etiam meris dactylis reperitur, ut: *Munera letitiamq; Dei.*

Tetrametrum acatalectum constat meris dactylis, vel spondeo, dactylo, spondeo & dactylo, ut: *Procidit ante Deum super aethere. Telorum interea cessat genus.*

.. u u - u u - u u - u u
- - - -
Tetrametrum catalectum, quod dicitur Ithyphallicum, constat tribus dactylis & spondeo, ut: *Conciliare volens patris iram. Qui serere ingenii volet agrum.*

- u u - u u - u u
Pentametrum catalectum constat initio duobus dactylis vel spondeis, & syllabâ longâ residuâ, rursus duobus dactylis perpetuis & syllabâ denuò reliquâ. Tale est illud Ovidii.

Quicquid conabar dicere versus erat.

- - - -
- u u - u u - - u u - u u -

Schol.

Alii hoc faciunt metrum compositum ex duobus dactylicis. Quidam vocant Epicum minus. Hoc nunquam ferè absque Heroico reperitur.

Pentameter, nisi fiat in eo cæsura post secundam regionem, vitiosus erit, ut: *Hæc quoq; nostra sententia mentis erat.*

Hexametrum Heroicum, seu epicum majus in primis regionibus dactylum vel spondeum recipit, quinta vero solum dactylum regulariter, sexta solum spondeum vel trochæum.

-- -- -- -- -- UU --
-UU -UU -UU -UU -UU -U

Schol.

Usurpatur solum aut cum aliis.

Anomalia hæc nonnunquam est spondei pro dactylo in quinta regione. Unde versus dicuntur Spondaici, quos nos non sine magno iudicio imitandos cenlemus, & si id fiat, ferè quarto loco dactylus ponendus est, ut: *Magnum foveis incrementum.*

Ferè dico, quia ad tarditatem rei exprimendam adhibetur spondeus nonnunquam, sicut ob rei velocitatem adhibentur multi dactyli, ut:

*Qui pede non valido vestigia clauda traherat,
Conatusq; gradus agro tardos torquebat,
Sana potest cursu cervis par corpora ferre.*

Monometra Heroica apud Virgilium sunt singularia, ut: *Abluero. - UU -*

Hæc de Dactylico, cui si à principio adimatur syllaba, transit in Anapæsticum.

CAP. XXIV.

De Anapæstico.

Anapæsticum est, quod præcipuè anapæstum recipit. Interdum pro anapæsto spondeum vel dactylum. Præ-

Præcipuum est Dimetrum Catalectum, quod spondeo, duobus anapæstis & syllabâ redundantante constat, ut:

υ υ - υ υ - υ υ - υ
- - - -

Felix nimium prior ætas.

Jam mæsta quiesce querela.

Vocatur Partheniacum & Tympanicum. Item hoc:
Tibi laus sit & omnis honor pater.

υ υ - υ υ - υ υ - υ υ

Seu:

υ υ - υ υ - υ υ - υ υ

Hoc item:

Placidè tribuens bona tempora pacis.

υ υ - υ υ - υ υ - υ υ - υ

Dimetrum hypercatalecticum, seu quaternarium hyperc. Sic:

υ υ - υ υ - υ υ - υ υ - υ

Elegantia hujus carminis spectatur, si singulis dictionibus singuli pedes conveniant. Ergò & monosyllabum in fine elegans est.

Hæc de anapæstico, cui si addatur syllaba, transit in dactylicum.

Schol.

Huic, si placet, adde Æolicum, ut anapæsticum metrum sit duplex, Æolicum & Partheniacum.

Æolicum, quod & Archibulæum sive Pindaricum appellatur, constat in prima regione jambò vel spondeo, deinde duobus anapæstis, quos syllaba intersecat, tandem syllabâ indifferenti. Hujus est exemplum Prudentii:

O stelliferi conditor orbis.

υ υ - υ υ - υ Sed rariùs hoc occur-
D 5 rit

rit, ac alii speciem faciunt Jonici à majore, ut Trimeter sit Brachycatalectum (quòd integer pes ad perfectionem dipodix seu medietas pedis quadrisyllabi desit.) Sic

- - u u - - u u - -

Natumq; suum misit ab alto.

Atque hæc de metris simplicibus dicta sufficiant.

Schol.

Quærat hîc aliquis fortasse, cur inter simplicia etiam non numerata sint Jonica à majore & minore, sic dicta à pedibus suis tetrasyllabis? Resp. olim quidem hæc mensurabantur compositis pedibus, sed nunc videtur simplicius, ea metrii pedibus simplicibus. Itaque ea ac metra simplicia ex dissyllabis referimus, & Trochaico subjiciemus, exemplum Jonici à majore Trimetri brachycatalecti est.

- - u u . u - u - u

Assumere carnis ossa nostra.

Hoc in simplices pedes ita resolvitur à nobis.

- - u u - u - u - u

Sic: *Mundi scelus expiavit universum.*

Trimeterum acatalectum.

- - u u - u - u - u - u

Simpliciter sic:

- - u u - u - u - u - u

Exemplum Jonici à minore.

Sit hoc Trimeterum acatalectum,

u u - - u u - - u u - -

Quod ad pedes simplices ita redigitur, ut antè:

u u - - u u - - u u - -

& ita fit senarium.

Tetrametrum hoc acatalectum est,

u u - - u u - - u u - - u u - -

Hæc nobis est octonarium, sic:

u u - - u u - - u u - - u u - -

Vide

Vide exempla in Horatii carminum libri tertii
Odâ 12.

Miserarum est nec amorì dare ludum:
hujus scansio veterum talis est:

uu - - uu - - uu - -

recentiorum verò sic:

uu - - uu - - uu - -

ita ut in omnibus locis imparibus pro trochæo reci-
piat Pyrrhichium.

Porro, quod alii Antispasticum dicunt, & quidem
faciunt dimetrum acatalectum, - - - u u - uu nos
dicimus Dactylicum, ut: *Nobis flatus ades sacer.*

- - - uu - uu

Eò referimus etiam hoc antispasticum trimetrum
acatalectum.

- - - u u - - u u - -

Da prodesse queam ritè juventa.

Quod ita resolvitur:

- - - uu - uu - -

CAP. XXV.

De Metris Compositis.

Composita metra sunt ex pluribus conflata. Suntq;
composita vel ex diversis speciebus ejusdem ge-
neris, vel ex diversorum generum diversis speciebus,
exempli causâ:

Deum verere judicem prava punientem,

u - u - u - u - - u - u - u

Compositum est ex Jambico & Trochaico.

Deum verere judicem, Jambicum.

Prava punientem, Trochaicum.

Tale hoc quoque est:

Deum prius preceris, quam quòd auferis.

Con-

Constat hoc Jambico & Trochaico quaternariis.

u - u - u - - - u - u - u

Nunquam peribunt, quos juvat esse pios.

Jambo elegum est, quia constat Jambico & Dactylico.

In se locantes spem Deus deseruisse nequit.

- - u - - - u - - uu - uu -

In se locantes spem Deus, Jambicum est.

Deseruisse nequit, Dactylicum est.

Malos sodales disce cavere puer solent nocere.

u - u - - - u u - u u - u - u - u

Malos sodales, Jambicum.

Disce cavere puer, Dactylicum.

Solent nocere, Jambicum.

Huc pertinet, quod ab aliis dicitur Epijonicum metrum, quale est apud Horatium:

Vides ut altâ stet nive candidum.

Dissolve frigus ligna super foco.

Dicitur hoc constare ex catalecticâ syllaba, brevi & longâ in initio, deinde trochæo, spondæo & duobus dactylis.

u - u - - - u u - u u

Tu dices, constare Jambico cum semispondeo, & Dactylico, ut: *Deus supremus conspicit omnia.*

Deus supremus, Jambicum hypercatalectum.
conspicit omnia, Dactylicum.

u - u - - - u u - u u

Schol.

Epijonicum vocârunt, quod in principio assumat dijambum, id est, duos jambos, vel spondeum cum jambo: Secundâ autem purum jonicum à majore recipit: Tertiâ Dactylum vel Amphimacrum. Vocatur etiam Alcaicum, sed nostram scansionem retineamus.

Ex

Ex Dactylico & Trochaico mistum videtur esse
Archilochium Hexametrum, duobus dactylis, spon-
deo, dactylo & tribus trochæis constans, ut Horat.

Solvitur acris hiems gratâ vice veris & Favoni.

- u u - u u - - - u u - u - u - u

Tetrametrum acatalectum est :

Solvitur acris hiems gratâ vice.

Trochaicum est : *Veris & Favoni.*

Huc pertinet & Archilochium Pentametrum, quod
primo loco jambum vel spondeum, secundo solum
jambum cum annexâ illi syllabâ longâ admittit, quibus
subjunguntur tres trochæi.

Horat. *Trahuntque siccas machine carinas.*

u - u - - - u - u - u

Dictum pentametrum, quia quinque pedes con-
tinet integros.

Trahuntque siccas, est Jambicum hypermetrum.

Machine carinas, est Trochaicum.

Sunt & hæc compositorum exempla : *Bonitas Do-
mini manet per ævum.*

Constans Anapæstico & Jambico :

u u - u u - u - - u -

Sedula dextera ditat, sed caret remissa.

Prior pars habet Dactylicum, Altera Trochaicum.

- u u - u u - - - u - u - u

Seneca in Choris utitur carmine Dimetro aliquâ
ex parte Anapæstico, quod constat dactylis & spon-
deis, permistis anapæstis, ubi tamen interdum anapæ-
stus in spondeum resolvitur, cum duæ breves faciant
unam longam, ut :

Lugeat æther magnusque parens

Ætheris alti, tellusque ferax. Compositum hoc

est



est è Dactylico & Anapæstico. Hic secundus pes di-
ctationem terminat, qui frequentissimè est spondeus.

CAP. XXVII.

De Reciprocatione Metri ma-
nentis & mutati.

Quibusdam metris accidit antistrophe, seu reci-
procatio.

Ea fit vel manente metro eodem, vel evadente
diverso.

Et utraq; quidem vel eodem, vel contrario sensu.

Exemplum, ubi manet idem metrum sensu eodem.

Musa mihi causas memora quo numine laeso.

Reciproc.

Laeso numine quo causas memora mihi Musa.

Tale hoc est recentius:

Donet munera mel non fel pax candida nobis.

Reciproc.

Nobis candida pax fel non mel munera donet.

Exemplum, ubi evadit metrum diversum sensu
eodem.

Adam primus homo crux omni posteritati.

Reciproc.

Posteritati omni crux homo primus Adam.

Sensu diverso, ut:

Sacrum pingue dabo; non macrum sacrificabo,
(ait Abelus)

Reciproc.

Sacrificabo macrum; non dabo pingue sacrum,
(ait Cainus)

Epithalam.

Conjugium tibi sit felix, nec fœdera jungas

Irrita: sis felix, nec citò dispereas.

Reciproc. contr. sensu,

Di-

Dispereas citò, nec felix sis: irrita jungas

Fœdera, nec felix sit tibi conjugium.

Exemplum, ubi sensu manente eodem fit aliud metrum. Epicum minus:

Aurea sublimi tecta nitore micant.

Recipr. facit jambicum:

Micant nitore tecta sublimi aurea. Sic:

Altera regressu meta recursa meat.

Jambicum.

Meat recursa meta regressu altera.

Talia metra dicuntur ab autore Sotadea seu Sotadica.

His vicina est Metapœelis, seu Metamorphosis, cum dictiones eadem adhibentur, addito aut ablato ferè aliquo, ad faciendum aliud genus metri, ut:
Epicum minus.

Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

Hinc fit Jambicum.

Bonis superba Roma frangitur suis.

Catullus.

Nobis cum semel occidit brevis lux.

Nox est perpetuò una dormienda,

Jambicum.

Nobis semel cum per brevis lux occidit.

Nox una cunctis dormienda perpetim.

Asclepiadeum.

Floret pace torus, divitiis domus.

Mutat. in pentametrum.

Floret pace torus divitiisq; domus.

Jambic. Senecæ in Hercule furente.

Non est ad astra mollis è terris via.

Convertitur in hunc pentametrum. Elegiacum.

Non est è terris mollis ad astra via.

Scazon Catulli:

O quid solutis est beatius curis.

Sic mutatur in Jambicum :

Curis solutis est nihil beatius.

Ex hoc Jambico :

Ingratus unus miseris omnibus nocet.

Fit pentameter :

Ingratus miseris omnibus unus obest.

Jambic. Senec. in Herculi. furente :

Aliena laudat qui genus jactat suum.

Hinc fit Hexameter :

Qui proprio ore suum jactat genus, extera laudat.

Anapæstic. quidem in Herculi. Oeteo.

Nam rara fides, ubi jam melior fortuna ruit.

Hinc fit pentameter :

Cum fortuna ruit prospera, rara fides.

Sed hæc μεταποίησις tyronibus potius concessa,
quàm artificibus.

LIBRI PRIMI POETICES FINIS.

POETICES

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De differentiis Carminum, &
quidem I, è speciebus metri.

A Dhuc prima Poetices pars fuit in Metricâ, pars
altera sequitur in Poematicâ.

Schol.

Prima pars in Metricâ) quæ Græcis est Stichologia.

Poematica est posterior Poeticæ pars, de applican-
dis metris ad carmen.

Carmen est multorum metrorum in unum quasi
corpus collectio. Differt igitur à versu seu metro,
ut totum à parte, Do-

Doctrina ejus est in Distinctione, seu differentiâ
& Genesi.

Schol.

Distinct.) Ubi de materiæ inventionem aliquid addi potest utiliter.

Prima carminis distinctio est è variis speciebus metri.

Carmen est 1. Trochaicum, vel Jambicum,

2. Dactylicum, vel Anapaesticum.

Trochaico subjicitur Phaleucium & Sapphicum.

Jambico Choliambicum; Dactylico Asclepiadeum & Epicum; Anapaestico Æolicum [seu Pindaricum, seu Archibulæum] & Partheniacum.

CAP. II.

De secundâ distinctione è figurâ.

Secundò è figurâ, hoc est, simplicitate & varietate, seu compositione metri, Carmen est Monocolon, vel Polycolon, (uniforme, vel multiforme.)

Monocolon, quod uno metrorum genere constat per totum: seu, in quo unius generis versus ad finem usque continuantur. Aliàs simplex & *σείσιμον*, id est, Statarium, ut Heroicum Hexametrum. Sic cum in Oda omnes versus sunt Jambici, Oda monocolos dicitur.

Polycolon, quod plurium mixturâ conficitur, Estque Dicolon, vel Tricolon. Nam Tetracoli exemplum vix occurrit apud Latinos.

Dicolon, quod duobus metrorum generibus constat, vel ejusdem generis duabus speciebus, ut Choriambicum Glyconium, in quo juncti sunt versus omnium generum Glyconii & Choriambici; & Elegiacum, in quo prior loco est Dactylicum hexametrum, posteriore pentametrum.

E

Tir-

Tricolon, quod tribus diversis metris constat, ut
Alcaicum cum Jambico & Da&lylico.

Polycola certis strophis conficiuntur & distin-
guuntur, etsi per excellentiam Lyrico carmini stro-
phæ convenient.

Strophæ sunt conversiones seu replicationes me-
trorum.

Monocola sunt ἀστροφᾶ, id est, nullam habent con-
versionem seu reditionem. Impropiè seu ἀκύρωσ di-
cuntur Monostropha.

Hinc dicuntur Distrophon, Tristrophon, Tetra-
strophon.

Distrophon, quod binis alternis iteratur.

Tristrophon, quod post tertium versum iteratur.

Tetraastrophon, quod post quartum.

Schol.

Vulgò dicuntur alia carmina Monostropha, ut quæ sunt
monocola (κατάχρησις quædam hæc est) alia Distropha,
quæ alternatione versuum constant propter δικωλίαν, ut
Elegiaca: Tristropha quæ triplicem habent revolutionem.
Id est, distropha post duos, tristropha post tres, tetraastropha
post quatuor versus rursus incipiunt. Pentastropha post
quinque.

Exempla:

Carminis Monocoli, Horat.

1. *Mæcenas atavis edite regibus,*

O & præsidium & dulce decus meum:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

Collegisse juvat, metaq; fervidis

Evitata rotis palmaq; nobilis

Terrarum dominos evehit ad Deos.

Omnes enim versus sunt Asclepiadei, quos multi
Choriambicis subjiciunt (ut speciem generi) ut con-
stent è spondeo, duobus Choriambis & Pyrrhichio
vel Jambo.

̄ - ̄ u u - ̄ u u - u u Vocant tetrametrum
u - Cacatalectum.

2. Tu ne quas fieri scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Di dederint, Lencothoe, nec Babylonios
Tentâris numeros, ut melius quicquid erit pati.

Omnes versus sunt Choriambici Alcaici, constan-
te spondeo, tribus Choriambis & Pyrrhichio vel
Jambo. Sic: Quis post vina gravem militiam aut
pauperiem crepet?

- - - u u - - u u - - u u - u u
u -

3. Jam jam efficaci do manus scientia,
Supplex & oro regna per Proserpina.

Epodon lib. Oda 17. Omnes versus sunt Jambici
Hipponactei trimetri, seu tenarii acatalecti.

- - u - - - u - u - u -

Dicola distropha sunt 1. Glyconium cum Ascle-
piadeo. Odâ 3. lib. 1.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helena, lucida sidera.

- - - u u - u u

- - - u u - - u u - u u

2. Dactylico trochaicum Archilochium heptame-
trum, constans è quatuor primis pedibus spondeis vel
dactylis, deinde è tribus trochæis vel spondeo ultimo,
cum Jambico trochaico, constante primùm ex jambo
vel spondeo, jambo & syllabâ, deinde ex tribus tro-
chæis vel spondeo ultimo.

Solvitur acris hyems gratâ vice veris & Favoni,
Trahuntq; siccas machine carinas.

- u u - u u - - - u u - u - u - u

u - u - - - u - u - u

E 2

He-

3. Heroicum hexametrum, vel cum Daetylico Alcimano, seu Ithyphallico.

*Laudabunt alii Claram Rhodon aut Mitylenon,
Aut Ephesum bimarisve Corinthi.*

- - - u u - - - u u - u u - u
- u u - u u - u u - u

Vel cum Daetylico Archilochio, dimetro hypercatalecto.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis

*Arboribusq; comae, - - - u u - u u - - - u u - -
- u u - u u -*

Vel cum Jambico Archilochio, dimetro acatalecto, quale illud:

Amice propugnacula u - u - u - u u

*Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus.*

*Nil melius, nil utilius mortalibus usque est
Prudente diffidentia.*

Vel cum Archilochio, constante dimetro Jambico, seu è quatuor Jambis [recepto tamen in locis imparibus etiam spondeo] & è duobus daetylis & syllabâ [seu, quod idem est, penthemimere heroicâ] ut:

Horrida tempestas caelum contraxit & imbres,

Nive, que deducunt Jovem; nunc mare nunc sylva.

- u u - - - - - u u - -
u - u - - - u - - u u - u u -

Vel cum Jambico Hipponacteo, trimetro seu senario, ut:

Alteram jam teritur bellis civilibus aetas,

Suis & ipsa Roma viribus ruit.

- u u - u u - - - - - u u - -
u - u - u - u - u - u u

Vel

Vel cum Epico minori, pentametro. Et vocatur
carmen Elegiacum, ut :

*Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est aspicienda fides.*

- u u - - - - u u - u u -

*Ecce triumphali trahitur Pennis ignea curru:
Armatum Martem nuda domare potest.*

- - - - - u u - u u -

4. Choriambicum Aristophanicum, vel, ut aliis
placet, Anacreonticum, constans è choriambo & bac-
chio, sive amphimacro, cum Choriambico Alcaico,
constante ex choreo & spondeo, duobus choriambis
& bacchio sive amphimacro.

- u u - u - - *Lydia dic, per omnes.*

- u - - u u - - u u - u - - *Te Deos oro, Sybarim
cur properes amando.*

5. Trochaicum dimetrum catalectum, cum Jam-
bico Archilochio, dimetro catalecto, constans è
quinque jambis & syllabâ, recepto tamen in locis im-
paribus etiam spondeo.

Non ebur neque aureum - u - u - u -

u

Meâ enidet in domo lacunar.

u . u . u - u . u - -

u

Primus versus ab aliis dicitur Jambicus Archilo-
chius dimeter acatalectus, constans amphimacro &
duobus jambis, vel ultimo Pyrrhichio.

6. Jambicum Hipponactéum, trimetrum acata-
lectum, constans è sex Jambis, recepto tamen in locis
imparibus etiam spondeo, cum Sapphico, constans
è duobus dactylis, & syllabâ (seu penthemimere he-
roicâ) & è quatuor Jambis, recepto tamen in locis im-
paribus spondeo.

Pecti, nihil me sicut antea iuvas

- - u - - - u - u - u u

Scribere versiculos amore percussum gravi.

- u u - u u - u - u - - - u -

Dicola Tristropha rariora sunt.

Exemplum habet Oda Horat. 12. lib. 3. Primi duo versus dicuntur Jonici à minore trimetri. Tertius est Jonicus à minori tetrameter.

Miserarum est neque amorì dare ludum,

u u - - u u - - u u - -

Neque dulci mala vino lavere aut ex -

u u - - u u - - u u - -

Animari metuentes patris verbera lingue.

u u - - u u - - u u - - u u - -

Dicola tetraastropha sunt :

1. Sapphicum cum Adonico. Primi hinc versus tres sunt hendecasyllabi Sapphici pentametri. Quartus quisque est Adonius dimeter.

- u - - - u u - u - -

- u - - - u u - u - -

- u - - - u u - u - -

- u u - -

Hi tres versus constant è trochæo, spondeo & dactylo, & duobus trochæis vel ultimo spondeo. Quartus è dactylo & spondeo.

2. Asclepiadæum cum Glyconio. Primi hi versus sunt Asclepiadæi. Quartus est Glyconius.

Scriberis Vario fortis & hostium

Victor Maoni carminis alite,

Quam rem cumq; ferox navibus aut equis

Miles te duce gesserit.

- - - u u - - u - - u u

- - - u u - u u Sic :

Extremum Tanaim si biberes, Lyce.

Savo

*Sævonupta viro, me tamen asperas
Projectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.*

TRICOLA tetraſtrophæ.

1. Alclepiadeum cum Pherecratio & Glyconio.
Hic primi quique verſus ſunt Alclepiadei. Tertius
quiſque eſt Pherecratius, heroicus trimeter, Quartus
quiſque eſt Glyconius.

Quis multâ gracilis te puer in rosâ

- - - u u - - u u - u u

Perfuſus liquidis urget odoribus.

- - - u u - - u u - u u

Grato, Pyrrha, ſub antro?

- - - u u - -

Cui flavam religas comam?

- - - u u - u u

Sic :

*O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero non ſine floribus,
Cras donaberis hædo,
Cui frons turgida cornibus.*

2. Alcaicum cum Archilochio & Alcmanio, ha-
bens aliquid ex dactylico, Jambico & trochaico. Hic
primi quique duo verſus ſunt dactylici, Alcaici, acata-
lecti, conſtantes ex jambo vel ſpondeo, jambo & ſyl-
labâ, quæ dicitur cæſura; deinde è duobus dactylis
vel ultimo amphimacro. Tertius quiſque eſt Jam-
bicus Archilochius dimeter hypercatalectus, conſtans
quatuor pedibus, primo & tertio loco jambo vel
ſpondeo; ſecundo & quarto, jambo duntaxat, dein-
de ſuper eſt ſyllaba. Quartus eſt dactylicus Alcmanius
acatalectus, conſtans ex dimetro heroico & dimetro
trochaico, id eſt, è duobus dactylis & duobus tro-
chæis (vel ultimo ſpondeo.)

E 4

Vides

u - u - = - u u - u u
 u - u - - - u u - u u
 - - u - - - u - u
 - u u - u u - u - -

*Vides, ut altâ stet nive candidum
 Soracte; nec jam sustineant omnes
 Sylva laborantes; gelug,
 Elumina constiterint acuto.*

Schol.

Deinde è duodus dactylis vel ult.) Alii (quod eodem redit) Deinde è Choriambo & Jambo vel Pyrrhichio.

- u u - u -
 u u

Ex his est M. Antonius Muretus, qui item versum in lib. I. Carminum Horatii Od. 17. *Nec Martiales hœdilia lupos.* non putat imitandum: Jonicum enim, ait, à majori pro Choriambo posuit Horatius, more veteribus non inusitato, pedes *ισοχρόνους* alios pro aliis usurpando.

Hœdilia.

- u u pro - u u -

CAP. III.

DE TERTIA DISTINCTIONE È MODIS.

TERTIO dividuntur Carmina seu Poëmata è modis. Carmen est Exegematicum seu *ἐπαγγελτικόν*, vel Dialogeticum seu Dialogicum.

Exegematicum, seu Endeicticum, quod simplici expositione vel indicatione consistit. Dicitur & à Græcis *διηγηματικόν* & *ἀποδιηγηματικόν*.

Dialogeticum est, quod in colloctionibus est positum.

Aliàs *Δραματικόν*, ut Pastorale & Scenicum.

Schol.

Carmen est ex) Divisio est non è speciebus, sed è Modis. Nam est & *μικτόν*, id est, mistum Carmen, in quo & narrat Poëta & introducitur colloctiones, ut sæpè Epicum & *Ἐπι-*

Epigrammaticum. Species non miscentur: Modi contra
& simul convenire & misceri possunt.

Ad Dialogica pertinet Eclogarium, quâ ἐκλογὴ pro col-
locutione ponitur. Sic à Cicerone ad Atticum Eclogariū
usurpantur pro collocutoribus.

CAP. IV.

De carminibus rerum indefini- tarum.

Ultima differentia carminum est in Argumentis
seu materiâ, quæ varia est. Ad Argumentum
tanquam ad scopum quendam Genesis Carminis diri-
gitur.

Carmen tractat res indefinitas, vel certas: hoc est,
accommodatum est rebus indefinitis seu omnis gene-
ris, vel astrictum est ad certas ferè.

Illud primarium est, vel secundarium. Primarium
Epicum & Elegiacum. Secundarium Lyricum &
Epigrammaticum.

DE EPICO & ELEGIACO.

Epicum Scaliger princeps carmen vocat, quod con-
tineat materias universas, ut Ethicas, Physicas, Theo-
logicas, Historicas. In hoc excellit, quòd heroum ge-
nus, vitam, gesta describit, indeque Heroicum dicitur.
Epicum est ab Epos, quod solis dactylicis senariis ma-
gniloquis attributum fuit primùm: nunc etiam tribu-
itur humilibus & mediis.

Elegia materia non tantùm est lugubris in funeri-
bus, sed etiam amatoria: nunc etiam ethica, epistoli-
ca, factis accommodata, gratulatoria, triumphalis.

DE LYRICO.

Lyricum est poëma contractum ferè, olim ad lyræ
citharæve cantum applicatum, seu quod sine cantu
atque lyrâ non pronunciabatur. Aliàs ODE

E S

&

& μέλ. Plerunque est mistum, id est, ex variis concinnatum. Hujus materies, laudes, amores seu curæ amatoriæ (Φροντίδες ἐρωτικαί) jurgia, insectationes, comestatoria, seu hilaritates & convivia, objurgatoria, vota, ad indulgendum genio exhortationes: contra sobrietatis commendationes, desideria, conquestiones, gestorum, locorum, temporum, explicationes summaria, in pompis accentiones, deliberationes, invitationes, repulsiones, dehortationes, &c.

Requirit in primis cum animi libertate frequentiam sententiarum apertarum, seu planarum, & in iis elegantem brevitatem, ut: *Nec generent aquila columbas.*

Nec tamen circuitu verborum rectæ respiciuntur, qualis hæc est Horatii: *Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi Finem Dii dederint.* Pro eâ aperta plenâque: *Nesciscitare mortis diem.*

Interdum Oda est cum Epodo, ubi Odæ aliquid accinitur.

Odæ eximiae species sunt Hymni & Pæanes.

Hymnus est poëma lyricum in laudes Deorum factum.

Schol.

Hymnus generaliter accipitur pro omni Carmine, quod cantatur in laudem Dei, Matt. 26. Ita enim appellati sunt hymni. Itaque dactylico Senario etiam hymnus confici potest, hoc est, versibus heroicis, non tantum Sapphicis, Phalæciis, Anacreonticis, Archilochiis, in laudem commentitorum Deorum quorundam.

Pæan fuit duum generum: Unum quo in victoriis gratulabantur fortibus viris cum acclamatione: Alterum quo laudes celebrabant, sine acclamatione.

Schol.

Scaliger inter Pæanes, Hymnos, Epinicia (nam hæc quoque

quæ

que pertinent ad Lyrica carmina) sic distinguit: Epicinia
erant, quæ in certaminibus victori canebantur. Pæanes,
quibus gratulatio fiebat Diis pro victoria in præliis. Hymni,
qui ad aras Diis dicebantur.

De Epigrammatico.

Epigramma est poëma breviter aliquid indicans
seu describens. Aliquid id est, quampiam rem, vel
personam, vel factum.

Sic dictum ab inscriptione. Nam quæ statuis, tro-
phæis, imaginibus pro Elogiis inscribebantur, ea pri-
mo veroque significato Epigrammata sunt appellata,
ait Scaliger, & idem: Donaria seu anathemata non
sine inscriptione. Sic Epitaphium epigramma dici-
tur, quòd tumulo inscriberetur.

Est simplex & compositum,

Simplex quo apertè & simpliciter aliquid indica-
tur.

Dicitur Explanatorium & Aphoristicum.

Compositum est quod ex propositis aliud quiddam
deducit. Idque vel majus, vel minus, vel par, vel diver-
sum, conclusum aut contrarium.

Conclusum sæpè est exclamatio, ut Epiphonema,
sententia aliqua cum venustate conjuncta, allusio ad
aliquem locum communem (quem vocant nonnulli
Noëma) vel argumentum aliquod.

O quantum est subitio casibus ingenium!

Tantus amor generis servandi & gloria nostri!

(post narrationem eorum, quæ Christus pro nobis
perpessus est.)

Vivet, vigebit, vincet una veritas (post expositio-
nem persecutionis Confessorum Christi.)

Phæricem, si vera ferunt, mors ipsa refingit:

Hi sic sit ne unus avi vitæq; morsq; rogus.

He, ô! sacrifices, sanctorum sancta cremate

Cor-

Corpora: quos vultis perdere, flamma parit.
Locus communis hic est Martyr Christi.
Inunc & Mopsi castum tutare pudorem:
Et Dominum famula concubuisse nega.
Ita concluditur narratio impuritatis Mopsi, refutatio-
ne opinionis castitatis ejus.
Exemplum nudæ narrationis cum festivâ Agnomi-
natione.

Schol.

Festiva agnom.) Exempla paronomasiae sunt: *Omniaque*
nocent: Ori modereris & ire

Talem Gastrologum dixeris Astrologum.

Va, quis semper idem vivere, quod bibere?

Sabi- *Dixerat Astrologus, caelum sub nube futurum,*
nus

Principe sylvarum lustra petente suo.

Dixerat at contra ruiturum nubibus imbrem,

Vertere consuevit bobus arator humum.

Vix ingressus erat princeps nemus illic densum,

Cum subito pluvia precipitantur aquae.

Laudat aratorem princeps, ipsumque doceri

Astra, sed Astrologum sumere rastra jubet.

Tale & hoc est:

Inopia Cerinthus sancto convicia Christo

Diis facit & stultâ garrulitate furit,

Concidit, & rapido blasphemum conudis cœle

Collapsa subito facta ruina domus.

Aliud exemplum.

Petitio seu suasio:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.

Argumentum seu Epicheirema.

Soles occidere & redire possunt:

Nobis cum semel occidit brevis lux,

Nox est perpetuo una dormienda.

De

De variis generibus epigramma- tum.

Epigramma recipit omne genus poëseos, & tot sunt eorum genera, quot res: & tot metrorum generibus explicantur, quot sunt metrorum genera.

Schol.

Omne genus) & διηγηματικὸν & διαλογικὸν & μικτὸν.
Tam communis est ejus usus.

Ad certas tamen quasi classes causarum revocari possunt, ut alia sint didascalica seu παραινετικά; alia προτρεπτικά, seu suasoria; alia Epidictica (laudis & vituperii) alia Apologetica.

Schol.

Epidicticum dicitur, quod continet alicujus Elogium, seu quod in alicujus laudem vel vituperium inscribitur. Elogium enim modo laudem modo vituperationem continet.

Epigrammata igitur possunt esse Epithalamia, in nuptiis; Epicedia, in exequiis; Epitaphia ad tumulum; Threni, id est, lacrymæ in luctibus; Nænia in rogo seu combustione corporum; Scolia in conviviis. Nonnunquam etiam propemptica in itineribus, & Genethliaca in natalitiis cani solita.

Schol.

Solia) Scolion melos præani affine, cum vitorum fortium laudatione in conviviis cani solitâ: & tres canendorum modos fuisse docet Scaliger I. libro Poëticae cap. 44.

Sunt etiam Epigrammatum materies Symbola, Scommata, Apologetica, Anticategoriae (quæ recriminantur,) Erotica, ligna, stemmata, Apologi cum mythologiis, id est, affabulationibus, Ænigmata.

Exemplum:

*Justus es & justâ Justus ratione vocatis,
Nomine Justitiae conveniente tuae.*

Epilo

Epigrammatis insignis species est Emblemata, seu
carmen Emblematicum.

Emblema est epigramma sententiarum quasi colorum pigmentis comitum.

Schol.

Quasi) simile enim est picturæ.

Materies ejus sunt arguta lepidave symbola, vel
utilia simulacra, quæ explicantur ingeniosè.

Emblemata etsi sunt varia, ad tria tamen genera re-
vocari posse videntur.

Alia sunt Historica, quæ ab historia rerum, vel per-
sonarum sunt petita.

Alia Physica, quæ ab animantium aliarumve rerum
naturâ sumta sunt.

Alia Ethica & Sapientiæ, quæ ad institutionem vi-
tæ pertinent.

In quibus omnibus effingendis, temporis, loci, re-
rum & personarum est habenda ratio, ne quid vel de-
sideretur vel abundet. Id quod Tarquin. Superbus,
(Livio in Hist. Rom. lib. 2. circa finem testante)
fecisse legitur, cum summa papaverum capita bacillo
decutiens, (quo Gabinorum proceres, & primores
è medio tollendos, & prorsus delendos, filio Tarq.
Sex. suavit) nuncium, qui literas Tarq. Sup. expete-
bat, sine responso Tarquin. Sexto transmittit, ne vel
ab aliis consilium audiatur, vel literarum, nunciive au-
xilio res patefacta, tandem in nervum abiens, in con-
sultoris caput malum redundaret.

Exempla suppeditant pulcherrima & plena gra-
vissimis sententiis Emblemata Jureconsulti Alciati.

Commendantur autem in Epigrammate, brevitatis
& argutia.

Brevitas hîc definita non est, nam interdum Epi-
gramma est Monostichon, interdum etiam est longi-
miscalum, Bre-

Brevitas autem hæc pressam desiderat orationem. Pressa oratio est, si sententiæ omnes ac verba, quæ nec lucem neq; ornamentum afferunt, removeantur.

Argutia est Epigrammatis anima & quasi forma: eamque inter Epigrammatum scriptores Catullum non semper assecutum; Martialem verò nusquam omisisse, planè perspicuum est.

In his quoque Epigrammatibus Elegias Ovidii, item Tibullii, Propertii, Claudiani, qui in hoc genere carminis excelluerunt, epigrammata connumeramus.

Argutiarum laus cernitur, tum in ipso genere sententiarum, quæ inauditæ, novæ, admirabiles, & necio unde ortæ esse debent: tum enim in quadam venustate orationis, quæ id, quod acutè & argutè excogitatum est, argutè etiam & cum gratia exponat.

Singulare est & valdè artificiosum, quod sparsas voces in fine colligit, ut Epigramma, cujus inscriptio: AMOR vel Α'ΥΤΕΡΩΣ.

Unica pro morte Christi remuneratio:

Pro servis Dominus moritur: pro fontibus insons:

Pro ægroto medicus: pro grege pastor obit:

Pro populo Rex mactatur: pro milite Ductor:

Proq; opere ipse opifex: proque homine ipse Deus:

Quid servus, sons, ægrotus, quid grex populusque?

Quid miles? quid opus? quidve homo solvet? Amer:

Echo etiam hîc ingenio laudem conciliat, ut:

Semicaper Faunus cur ita clamar? E. amat.

Pulcher anum juvenis ducere nolet? E. olet.

CAP. V.

De Carminibus certarum causarum.

SEquuntur Carmina certis causis addicta (ὡρισμένα) ubi principali causæ seu rei propositæ sæpè aliquid adhæret. Horum quasi sylva est:

I. Pri-

1. Primum ex Exegeticis sunt *Didascalica* & *Historica*.

Huc pertinent *nunciatoria*, quidam *hymni* naturam rei divinæ explicantes, ἱεραγγελτικά, *Hodæporica*, *Lucretiana* de Naturâ, *Buchanani Sphæra*, *Honteri Cosmographia*, *Pincieri* de corporis humani fabricâ.

2. DEMONSTRATIVA, seu *Epideictica*, id est, laudationem vel vituperationem continentia, utrumque dicitur *Elogium*.

Huc pertinent *Encomiastica*, cui *Panegyrica*, *Hymni*, *Pænes* subjiciuntur. *Epithalamia* seu *Gamelia*, *Hymenei*, *Commendatitia*, *Eucharistica*, quibus subjiciuntur *Soteria*, παιδευτήρια, *Epitaphia* seu *Episcidia*, *Parentalia* (carmen interiarum) funebris oratio, *Genealogica* & *Genialia*, *Palinodia*, ψεντικά.

3. DELIBERATIVA, quæ Græcis sunt συμβουλευτικά. PETITORIA, προσευκτικά seu VOTIVA, απευκτικά & αποτρόπαια, quibus subjiciuntur *Propemptica* & *Apobasica*: *Protreptica* (Adhortatoria) sub quibus statuuntur *Paraneica* seu παραγγελματικά, *Paramythetica*.

Judicialia sunt *Categorica* & *Purgatoria*, seu *Apologetica*.

Scholia seu παραγραφαί.

Ubi principali causæ) ut παραίνεσι adherent *διδασίς* & *laus*. *Consolationi* interdum adjuncta est *objurgatio* vel *disputatio*. *Propemptici* summa est *εὐφημία*, cui alia possunt esse conjuncta, ut *laus* aliqua per occasionem, *consolatio*, *fabula*, *historica narratio*. *Suasioni* & *dissuasioni*, *adhortationi* & *dehortationi* tum *laus*, tum *vituperatio* adjunctæ. *Gratulationes* sæpe sunt cum *laudatione*.

Didascalica sunt, quæ ad docendum comparata sunt.

Hi.

Historica, quæ quippiam simpliciter describunt
sive res sit, sive persona, sive factum. Epicis Poëtis
historia pro argumento est, ait Scaliger 1. de Poëtica:
etsi ibi per historiam intelligat narrationem facti.

Hodæporica sunt descriptiones itinerum. Interdum
tamen pro carminibus propempticis accipiuntur.

Encomiastica sunt, quæ laudes alicujus & affectio-
nem ejus ornatè, copiosè & argumentosè recensent, à
voce ἐγκώμιον, quod parva quasi panegyris est.

Panegyrica sunt ἐπαινετικά (laudatoria) quæ dici
consueverunt apud multitudinem congregatam.

Hymnus est Dei, seu divini numinis, laudatio: in-
tellige de altero Hymnorum genere, κατ' ἐξοχήν enim
hic hymnus accipitur pro eo, qui celebrat tantum, non
exponit.

Pæan est heroum laudatio, seu celebratio.

Hymenæus est epithalamium, in quo fit acclamatio
versu intercalari.

Schol.

Duo hymenæorum genera sunt: alterum purius, alterum
obscœnum seu *Fescenninum*, cui impudicæ voces sunt inser-
ta. Inventum primum in oppido Campaniæ Fescennio.

Commendatitia, quæ alicujus virtutem alii prædi-
cant, ad eum juvandum, ornandum, tuendum.

Commendationes sunt laudationes cum annexa pe-
titione, vel petitiones cum laudatione, seu prædicatio-
ne. Quo fit ut alicui mixti generis etiam videri pos-
sint. Regnant in his carminibus *Sylva*.

Eucharistica sunt, quibus aguntur gratiæ. His sub-
jiciuntur *Epibateria* (ἐπιβατήρια) quibus reditus in
patriam cetebratur & pro eo Deo aguntur gratiæ.

Soteria, quibus Deo aguntur gratiæ pro alicujus
inco'umitate.

Padeuteria sunt, quibus præceptis nostris agi-
mus gratias.

Epitaphia seu *Epicedia*, quibus alicujus tumulus celebratur.

Parentalia sunt carmen lugubre, quo defuncti memoria celebratur. Ea interdum sunt Anniversaria.

Genethliaca, seu Genealogica, sunt carmina de alicujus natalibus. Lat. Genitalia.

Genialia sunt, quibus dies alicujus natalitius celebratur.

Dicta à Genio, qui nascentibus nobis suus cuique datus esse creditur.

Gratiæ hîc agi solent Deo, cujus beneficio liberis aucti sumus.

Palinodica sunt, quibus revocatis probris aliquis laudatur. Lat. Recantatoria. Palinodia recantatio est.

ψεκτικά sunt, quæ continent vituperationes & convitiâ. Græcis sunt κακολογίαι. Jambici versus his apti à veteribus judicati sunt. Hinc Ἰαμβίζειν est κακολογεῖν, id est, maledicere seu convitari & impetere.

Προσευκτικά sunt, quibus petimus aliquid fieri aut esse: vel, quibus aliquem prosequimur bene ominantes. His subjiciuntur *Gratulatoria*, quæ habent significationem voti cum gaudio ob felicitatem.

Απειθτικά sunt, quibus aliquid non fieri, aut non esse petimus: cui subjiciuntur *Αποτροπαι*, quæ comparata sunt ad averruncandam advertendamve numinis infensi iram.

Προπεμπτικά sunt, quibus prosequimur abeuntes vel votis, vel bonis omnibus. Dici etiam possunt ἀποπεμπτικά.

Ἀποβατήρια sunt, quibus utuntur discedentes. Hæc solent fieri cum commendationibus. Claudii solent bene ominatis verbis & faustis precationibus.

Pro-

Protreptica sunt, quibus adhortamur, vel admone-
nemus.

Sub his statuuntur *νυθητικά, παραινετικά & παραμυθητικά.*

Nuithetica sunt, quæ cujuscunque modi comple-
tuntur admonitiones.

Paranetica sunt, quæ continent præcepta Ethica,
vel sapientia.

Paramythetica, quibus aliquem consolamur. Hæc
enim adhortamur ad animi compositionem & tran-
quillitatem. *Παραμύθια* sunt consolationes, seu
ALLOQUIA.

Schol.

Aut est simplex adhortatio ad aliquid: id est, sine com-
paratione atque deliberatione electionis. Hæc est carminis
προτρεπτικῆς. Aut est admonitio simplex, quâ instrueris
ad aliquid capessendum. Hæc est *νυθητικῆς*. Aut est ad-
monitio præceptiva, id est, admonitio, cum præceptionibus
(quæ Græcis est *παραγγελμα*) Hæc est paranetici, seu
παραγγελματικῆς.

Categorica sunt, quibus accusamus.

Schol.

Κατηγορία est vel accusatio, vel crimen, quod teo impu-
tatur.

Apologetica, quibus defendimus, refellendo.

Schol.

Ἀπολογεῖν refellere est. Hinc apologia dicuntur de-
fensiones, quia non potest consistere defensio sine refutat.

CAP. VI.

De Dramaticis, & primùm de ejus partibus
principalibus.

E DIALOGICIS ET MIXTIS SUNT

DRAMATA.

Drama est poëma, in quo personæ agunt. Dicitur
ἀ δράν, id est, agendo, quia consistit in actioni-
bus

F 2

bus

bus personarum. Præcipua ejus metra sunt Jambicum & Trochaicum.

Schol.

Persona est res animata, ficta, veræ imitatrix, illa modò est Scenica, seu in scenâ: modò extra scenam.

Drama est perfectum, vel imperfectum.

Schol.

Drama) seu dramaticum, hoc est, activum poëma.

Perfectum) quod omnibus requisitis ad eam constat.

Talia sunt, quæ hodiè sunt Scenica, quorum præcipua metra sunt Jambicum & Trochaicum.

In Dramate perfecto spectantur 1. partes & membra: 2. differentia in affectionibus, & generibus.

Partes sunt vel principales, vel accessoriae.

Partes principales sunt, quæ abesse non possunt, ut Apostrophe & Catastrophe.

Apostrophe est, quâ drama à recto scopo abducitur: cui omnes περιπέτεια, h. e. insperata mutatio casuum.

Habet α. πρότασιν, ἐπίτασιν, & κατάσασιν.

Πρότασις, quâ status, h. e. negotium Dramatis proponitur. Sic in Eunucho Terentii, status fabulae sub Phædriæ & Thrasonis rivalium comparatione deducitur.

Seu: Protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam.

Ἐπίτασις est, quâ turbæ & motus fiunt. Sic in eadem fabulâ turbæ ortæ sunt inter Phædriam & Thaidem; item inter Thrasonem & Thaidem: item inter Chæream & Thaidis ancillas.

Latinè vocatur intentio, incrementum, & procelus turbarum.

Κατάσασις est, in quâ res miscetur in eâ fortunæ

tem.

tempestate, in quam subducta est. Hæc in quarto actu Eunuchi, dum hinc inde consilia captant de frustrando Thrasone, & restituendâ Pamphilâ vitiatâ, incipit.

Κατάσασις Latinis est vigor & status fabulæ.

Catastrophe est, in qua fabula ad scopum deducitur. In hac est ἀναγνώσις, rerum scilicet ignotarum agnitio directa. Eventus enim fabulæ propositus usque ad extremam *καταστροφῆς* partem subticetur, neque in aliqua præcedentium partium hujus mentio fit.

Schol.

Ἀναγνώσις Critici faciunt partem Comœdiarum, quæ Catastrophen faciat, ut in Andria Terentii.

Catastrophe si sit ad jucundos exitus Comœdia est; sin minus, Tragoedia.

Catastrophe autem in Parasceve, & Epistrophe absolvitur.

Parasceve est, quâ initium Catastrophes ad præparationem dubii eventûs capitur. Sic in Eunucho, actu 4. scen. 2. parasceve incipit, dum scilicet Chremes vitiatam Pamphilam Atticam esse civem ait: hinc enim rem in integrum reduci posse testatur.

Epistrophe est, quâ ipse eventus exprimitur & fabula finitur. In Eunucho sequitur actu 5. scena 2. ad finem usque. Scenâ enim secundâ Chærea cum Thaidè reconciliatur; Pamphila per Sophronam nutricem pro cive Attica agnoscitur; Pater Laches Chæreæ & Phædriæ amores resciscit eosque fert; dies nuptiarum Chæreæ indicitur; Thais tota Phædriæ cedit; miles ridiculis salibus excluditur.

CAP. VII.

De partibus accessoriis seu minus principalibus.

F 3

Pre

Partes accessoriae adhibentur vel intellectus, vel ornatus causa.

Intellectus causa: Prologus & Epilogus.

Prologus est extremum requisitum, quod actioni Dramaticae praemittitur.

Hic autem est Proprius vel Impropius.

Proprius, quando aliquid ad Drama facit, ut si vel integrum argumentum & summam fabulae, vel partem & principale aliquod momentum pronunciat. Tales sunt ferè omnes apud Plautum, apud Terentium verò nulli.

Impropius est, quando nihil ad conficiendam fabulam facit, sed aliud agit. Estque simplex vel mixtus. *Simplex*, ut cum vel Poëtam laudat, aut defendit; vel adversarios refellit, aut in eos crimina regerit; vel gratiam populo refert: quales sunt apud Terentium omnes, apud Plautum rarissimi. *Mixtus*, ut cum Poëtam laudat, & defendit simul à calumniis.

Præterea longè alius mos apud Græcos observatur Poëtas: hi enim non per unicam personam, ut Latini, sed per plures prologum introducunt.

Epilogus est, quod post peractum Drama adjectum est.

Hic licet apud Veteres nullis aliis verbis, nisi *Valete & Plaudite*, exprimeretur: Attamen crebriori usu in carmen quoque excrevit.

Duo verò spectantur in posteriore genere Epilogi: alterum, ut usus peracti Dramatis monstraretur; alterum, ut cum delectatione spectatores dimittantur.

Et sic intellectus causa Prologus & Epilogus.

Schol.

Integrum argument.) Hic prologus dicitur *ὑποθετικὸς*, id est, argumenti expositivus.

Laudat.) Hic dicitur *εὐσεβητικὸς*, id est, commendativus.

De.

Defendit) Hic dicitur Ἀπολογητικός.

Refellit) Dicitur ἐλεγκτικός, vel ἀνασκευαστικός.

Regerit crimen) Dicitur Ἀντικατηγορικός, Species ἀναφορικός, id est relativi. Nam Ἀναφορικός prologus est, qui vel regerit crimina, vel refert gratiam.

Mixtus) Prologus Eunuchi Terentianæ est sic Apologeticus, ut fiat Systaticus, id est, poëtam defendit & vindicat à calumniis, ut de meliore nota eundem populo commendat.

Ornatûs verò & animi magis laxandi causâ Chorus & Interludia adhibentur.

Chorus est carmen harmonicum multis personis canendum. Maximè hic est in Tragœdia.

Adhibetur autem aliquando post, aliquando ante actum.

Ante actum, quando subsequenti aliquot argumentum exprimit.

Post actum, quando de actione jam facta agit.

Interludia sunt omnia ornamenta, quæ præter chorum Dramati adduntur: ut cùm vel aliquod Poëma, ut *Mimus*, extra fabulam recitatur, saltatur, vel Musicus concentus concelebratur. Græcis sunt Ἐπεισόδια.

Huc quoque referri possunt apparatus vestium, proscenia, scenæ pictæ, machinæ versatiles & ductiles, & id genus alia, quæ partes circumstantes dici possunt.

Schol.

Chorus] Hic præcentor & præfultor, seu Chori magister, dicebatur Coryphæus à κορυφή, id est, vertice, apice, summitate. Dicebatur etiam χοροστάτης. Huic proximus παραστάτης, & huic deinceps proximus ὀπισθοστάτης.

Ut mimus) Mimi & Pantomimi dicuntur, qui omnia gesticulatione imitantur. Mimus poëma est, quod quod-

vis penus actionis ita imitatur, ut ridiculum faciat;
Scalig.

CAP. VIII.

De membris Dramatis, Actu &
Scenâ.

Dictæ sunt Partes: Porro, partium primariarum
ACTUS sunt tanquam membra, seu commu-
nes portiones majores.

Actus est membrum Dramatis, quo præcipua ali-
qua actio absolvitur.

Horum quinque in quolibet Dramate reperiuntur,
non plures, nec pauciores: si enim drama pauciores
haberet actiones, minus delectationis; si vero plures
eò plus defatigationis daret.

Talia reperiuntur veterum Dramata omnia; ut
Plauti, Terentii, Senecæ, Euripidis, Æschyli, & ali-
orum.

Distinguebantur porro olim actus interventu cu-
juspiam personæ antea non visæ, quæ distinctio nunc
non admodum observatur: quippe cum nova actio
incipit, licet nulla intervenerit persona nova, jam
per ipsam novam actionem distincti actus appare-
bunt.

Actuum portiones minores sunt Scenæ. Hinc
Scenicum carmen dicitur.

Scena est actus pars, in quâ personæ loquuntur.

Fit Scena ingressu personarum, tum omnium quæ
in illâ scenâ loquuntur, tum aliquando quarundam
tantum, ita ut reliquæ incidenter superveniant.

Finiturque egressu earundem personarum vel o-
mnium, vel aliquarum, ita tamen ut, si quæ mancant,
aut novam scenam ordiantur, aut ex insidiis alias in-
terloquentes captent.

No-

Notandum autem est in Scenâ, ne plures quàm tres personæ, ad summum verò quinque, loquantur: pluralitas enim personarum confusionem & actoribus & auditoribus facit: nisi si inducantur personæ ad consilium vel sententiam dicendam.

Schol. seu paragraphe.

In Scenâ) Scena theatralis nomen invenit ex eo, quòd aliud atque aliud *περίωρον* appareret ex adiculis, quæ olim, cum ex ramis & frondibus (sine pariete) conficerentur, ita sunt ab umbris & tabernaculis appellatæ *Hütten/Gezelte*. Nunc fiunt tabulatæ in modum parietis. Interdum accipitur Scena pro ipsa actione, seu summâ actionis, ut Scena totius rei hæc est, id est, actio. *Dies ist die Summ vom Spiel/ so stehet es umb den ganzen Handel.* Cælius ad Cic. lib. 8, Epist. famil.

Præterea quarta & quinta persona, si in scena introducantur, cum cæteris non colloquantur, sed vel colloquentes captabunt, vel eorundem colloquium interrumpent.

Sic in Eunucho Terentii, *Act. 1. sc. 1.* colloquatoria est Phædriæ & Parmenonis: Secundâ verò Phædria & Parmeno sub initio Thaidem captant, deinde Thais & Phædria colloquuntur, Parmeno subministrat. *Secundo actu scen. 1.* colloquium Phædriæ & Parmenonis, sub finem verò Parmenonis Epiphonema ponitur: *scen. 2.* initio Gnatho secum loquitur, Parmeno captat, mox invicem colloquuntur; talis etiam est tertia. *Tertio actu scen. 1.* Thraso & Gnatho colloquuntur, Parmeno captat; secundâ scenâ Thais, Thraso & Gnatho colloquuntur, Parmeno captat, quinta persona Pythias subministrat: *Scen. 3.* Chremes solus ingreditur, cujus sermones interveniens Pythias interrumpit; quartam solus Antipho narrando agit: quintam Chærea & Antipho incidenter obviam facti absolvunt. *Actu*

4. scen. 1. sola Dotias complet, ut secundam solus Phædria: in 3. Pythias ad Phædriam ingreditur, Phædria captat initio cum Dotiâ colloquentem: tandem Phædria ancillarum colloquium interrumpit: 4. Phædria alloquitur Pythiam & Dotiam, Dorus Eunuchus subministrat: 5. Chremes & Pythias colloquuntur: sextâ, Chremes & Thais colloquuntur, Pythias interrumpit: 7. primò Thraso loquitur, Gnatho carpit, deinde Thais Thrasonem alloquitur, quarta persona Sanga subministrat, & quinta Chremes interrumpit. V. *actus* scen. 1. Thais & Pythias colloquuntur. 2. Chærea & Thais colloquuntur, Pythias subministrat: tertîâ Pythias & Chremes colloquuntur, Sophrona subministrat: 4. Parmeno loquitur, Pythias captat: 5. Parmeno & Pythias colloquuntur: 6. Laches & Parmeno: 7. Pythias & Parmeno: 8. Gnatho & Thraso colloquuntur: 9. Chærea & Parmeno colloquuntur, Phædria subministrat, Thraso captat, Gnatho inservit.

CAP. IX.

De dramate Motorio & Statorio.

Partibus & membris expositis, sequuntur Affectiones.

Drama est motorium vel Statarium, quanquam & mixtum est.

Motorium Drama est, quod maximis turbis referuntur plus in actione, quàm colloquutione consistit. Aliàs turbulentum.

Statarium contrà, ubi res magis sedatæ proponuntur: & plus verbis, quàm actione, perficitur. Aliàs quietius & *σαοιμον*.

Motorii Dramatis exempla sunt apud Plautum: Amphitruo, Asinaria, Aulularia; apud Terentium:

An-

Andria, Eunuchus, Phormio, Adelphi; apud Senecam: Hercules furens, Thyestes, Troas.

Statarii verò apud Plautum: Epidicus, & Rudens; apud Terent. Heautontimorumenos & Hecyra; apud Senecam: Hercules Oetæus.

Potest etiam Drama distingui in verum & fictum seu fabulosum.

CAP. X.

De Tragoedia.

Affectiones sequuntur Genera. Scenicum Poëma seu Drama perfectum est Tragicum & Comicum.

Tragicum, quod *Tragoedia* appellatur, est Drama de illustrium personarum tristi interitu.

In Tragoedia hæc duo observantur: primò, ne humilis persona loquatur, exceptis nunciis: alterum, ne quis locus ad abolendum luctum admisceatur.

Introducuntur autem in Tragoediis Dii, Deæque, Spiritus, spectra, Heroës, Heroinæ, Principes, Sacerdotes, & nuncii, præterea que nulli terè.

Truculenta verò & tristis *καταστροφή*, aut eade illustri alicujus personæ, aut morte naturali & subsequens exequiis, aut relatu peractæ cladis finitur. *Claruerunt* apud Græcos, Euripides, Sophocles, Æschylus; apud Romanos, Seneca.

Proinde si atrocem exitum habuerit Tragoedia; *atrocior*: sin verò tranquillio rem, *tranquillior* eadem dicenda est.

CAP. XI.

De Comœdia & Tragico-comœdia.

Comœdia est alterum perfectum Drama, de moribus vulgaribus læto fine agens.

In

In Comœdiâ *indecens* est loqui Deos, quod Plauto vitio vertitur; item Heroës & alias illustres personas.

Convenit autem, lenes, patricios & plebejos, adolescentes, milites, aulicos, servos, parasitos, lenones, lixas & ejusmodi viles personas, item urbanas matronas, procaces meretrices, puellas pudicas, protervas ancillas, bibulas nutrices, & obsterrices, & si quæ sunt ejusdem farinae, in Comœdiam introduci.

Schol.

Comœd.) Comœdia est poëma dramaticum negotiosum, exitu lætum, stylo populari.

Præterea *decorum* est, ex turbis non quidem periculum dantibus, sed tantum molientibus, tandem fieri lætas pacatasque Catastrophas, seu jucundos exitus: utpote reconciliationes, modestas elusiones, nuptias, pacta, traditiones, & ejusmodi alios jucundos eventus, post turbarum vexationes, sequi.

In hoc autem perfecto tam Tragico, quam Comico Dramate, præcipuè hæc *duo palmam* obtinent.

Prim. Si cujuscunque introductæ personæ natura tam in actu, quam in diverbio exprimat.

Deinde, si fabulæ argumentum, & præcipuè Catastrophe istius, ab initio usque ad extremas partes, artificiosè occultetur.

Schol.

In Diverbio.) Diverbia in comœdiis vocat T. Livius, qui aliàs sunt Dialogi.

CAP. XII.

De Dramate Imperfecto.

Habuimus dramaticum poëma perfectum: Sequitur imperfectum.

Imperfectum est, quod non omnia requisita Dramatis habet: id est, caret vel actibus & scenis, vel aliis ad Drama propriè pertinentibus. Est

Est autem *Serium*, vel *Jocosum*.

Serium, quod res tractat serias: Duplex *Ecloga* & *Satyra*.

Ecloga est Poëma Dramaticum *serium*, in quo pastoralia colloquia introducuntur. Aliàs dictum poëma ποιμενικόν, id est, pastorale.

Estque μονόπροσωπὸν, vel ἀμοιβαῖον.

Μονόπροσωπὸν est, in qua unica tantum persona loquitur. Talis est apud Virgil. Alexis, Pollio, Gallus, Silenus.

Αμοιβαῖον, quæ alternis pastorum colloquutionibus constat, ut in Virgil. Tityro, Palæmore, Daphnide, Melibœo, Pharmaceutriâ, Moëride: vel in quibus proci & puella de amore disputant mutuo, vel contendunt inæquali.

Schol.

Eclog.) Specialiter hic *Ecloga* accipitur. Nam generali significatione, est carmen ex Sylvis, seu inconditâ turba eorum, quæ latis meditati non sumus, selectum concinniusque factum.

Pastorale) Pastoralia continent bucolica, messes, fœnicia, lignatoria, viatoria, captaria, ovilia, holitoria, piscatoria, villica.

Satyra est imperfectum Drama *Serium*, quo mores hominum per Satyricas personas carpuntur. *Persona* hîc sunt vel sine nomine, ut in prima Persii; vel nominatæ. Quædam tamen Satyræ sunt διηγηματικαί, in quibus narratio simplex est ex personâ autoris, ut prima Juvenalis. Quædam etiam sunt mixtæ ex personâ autoris & personis aliis.

Sedatior, quæ magis placido & tecto stylo invehitur, quales sunt Horatianæ.

Concitator, quæ acriori & magis aperto convitiolum genere utitur. Tales apud Persium & Juvenalem reperiuntur.

Dis.

Differunt autem Ecloga & Satyra: primùm quòd illa pastoribus, hæc verò Satyris interloquutoribus utatur: deinde quòd illa plerunque laudes, hæc verò rectè convitia dicet: tertio quòd Ecloga magis statarium, Satyra verò, cùm dramatica est, potiùs motorium Drama sit.

Imperfectum serium dictum est, sequitur Jocolum.

Jocosum est Dramaticum imperfectum, quod ad jocos ciendos conficitur, & appellatur Mimus.

Mimus verò dicacitate salibusque refertus & actionibus gesticulationum plenis elegans est, quales apud Pub. Mimum & Laberium videntur.

Huc referimus *Ischyphallos*, quod genus Dramatis jocosis & præsertim ebriis coronatisque stantibus personis canebatur.

Inter Comœdiam & Tragœdiam interjicitur mixta, seu composita, *Tragicocomœdia*, vel *Comicotragœdia*, ut in qua personarum dignitas ac magnitudo Comœdiæ humilitati est admista.

Cæterùm fabuloso poëmati, vel parti ejus, accidit *Mythologia*, seu affabulatio, quæ est fabulosi carminis interpretatio.

Eaque modò *inseritur*: ut alicubi apud Ovid. videre est: modò *præmittitur* à Poëta: modò *subjicitur* carmini, aut *præmittitur* ab exegetâ. Sic *Batrachomyomachia*, id est, pugna ranarum & murium, ad cujus imitationem facta est *Galeomyomachia*, habet suum *ἐπιμύδιον*.

Hactenus Poëmatis distinctiones, seu differentiæ, explicatæ sunt: sequitur ejusdem Genesis.

CAP. XIII.

De Genesis in imitatione Poëtarum,

Gene-

Genesi partim in imitatione, partim in elaboratione consistit.

Imitatio est, quâ aliquid imitatu dignum nostrum facimus: quæ ut multum delectationis in se continet, irâ utilitatis expers esse nequit. Aliàs dicitur *μίμησις*.

Est autem Imitatio vel Poëtarum, vel eorum, quæ his subiecta sunt.

Poëtarum imitatio est, quâ virtutes eorum æmulantur, seu ad nostra accommodamus.

Estq; totius operis, vel partis: sive inventionem, sive dispositionem, sive λέξι & numeros spectes. Sic Virgil. in Heroico; Horatium in Lyrico; Ovidium in Elegiaco potius imitamur.

Imitationis Hujus aliquando sunt Centones, aliquando Parodia.

Centones dicuntur, cum membra versuum unius, vel plurium Poëtarum ad numerum collecta sunt.

Tale est apud Ausonium Poëma valdè ingeniosum & lepidum ex frustis Virgilianis coagmentatum; Probæ item Falconiæ, fœminæ præter cæteras Christianas illustris. Sic ex pluribus Poëtis, ut Horatio, Ovidio & Sabino, conlutum est hoc metrum:

*Dum studiosa cohors & fratres forcipe tonsi
Ingrediuntur iter, concipit Iris aquas.*

Schol.

Centones sunt carminum genus ex diversis versuum fragmentis, hinc atque illinc accersitis, contextum. Ein Glückwerd / oder zusammen gesticktes Carmen, wie ein Bettlers Mantel. Hinc Virgilio centones Gryphii & aliorum.

Parodia est ad alterius imitationem modulatio, quæ fit vocibus quibusdam mutatis in alio ferè argumento, ut: Virgil.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Parod.

Parod.

Tanta molis erat lapsam reparare salutem.

Tale est:

Christe, graves hominum semper miserate labores.

Ex illo Virgilio:

Phœbe, graves Troja semper miserate labores.

Ex illo:

Conscia mens recti fama mendacia ridet.

sunt hæc:

Conscia mens recti	{	non vultum iudicis horret.
		caelo sua lumina figit.
		semper secura quiescit.

Ex illo Virg.

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

est hoc:

Omnis in opato stat conjuge cura marita.

Ex hoc:

Non habet eventus sordida præda bonos.

sunt hæc:

Non habet eventus	{	res male parta bonos.
		impia dextra bonos.
		lingua dolosa bonos.
		quod facit ira, bonos.
		ulla rapina bonos.

Ex hoc:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

sunt:

Scil. in	{	juvenes	{	manant exempla	{	Seneæ.	
						nuptam	mariti.
						natos	parentum.

Ad imitat. Ovid. Non est in medico, &c.

Non est in peris, ut concilientur amores:

Plus nummis probitas irreprehensa valet.

Cura

Illud :

Cura viris gravibus rerum solet esse suarum.

Ita :

Cura viris levibus rerum solet esse novarum.

Ad imitation. Virg. &c. *Arma virumq; cano.*

Prala merumq; cano, Creta quod nectar ab oris

Italiam cyathis profugum potoria venit

Littora &c. Vide Scal. lib. 1. Poëtices.

Hic seria seriis, jocosa jocosis, ridicula ridiculis, vel seria ridiculis, vel sententiosa sententiosis accommodantur: vel leve argumentum in grave mutatur.

CAP. XIV.

De imitatione rerum.

HActenus Imitatio Poëtarum: sequitur Imitatio eorum, quæ his subiecta sunt.

Estque vel rerum, vel affectuum.

Rerum imitatio est, quæ res vel veræ, vel verisimiles proponuntur.

Verarum rerum est tam intelligibilium, quam sensibilium.

Intelligibilium est imitatio earum rerum, quæ entia sine corpore dicuntur, ut Virtutum, Vitiorum & similium. Sic Ovid. 1. Metamorph. castitatem hoc versu imitatur,

Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostræ,

Sic Tibull. lib. 2. Elegiarum.

Vos quoq; abesse procul jubeo, discedat ab aris.

Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Ibi in Ovidiano exemplo castitas fingitur potius vitæ periculum subitura, quam sese ipsam libidini prostitutura: in Tibulliano exemplo introducitur

G

casti-

castitas à sacris peragendis arcere eos, qui libidini operam dant.

Sensibilem seu *corporearum*, est rerum materiâ & formâ concretarum, ut Animalium, Vegetabilium, Mineralium, &c. Talis est imitatio i. Metam.

Hæc super imposuit liquidum & gravitate carentem Æthera, nec quicquam terrena fecis habentem.

Ubi cœli levitas & subtilitas liquore & defectu fecum terrenarum deducitur. Idem 4. Tristium Equos indicat.

*Scilicet & veteres fugiunt juga sæpè juvenci,
Et domitus freno sæpè repugnat equus.*

Hic enim refractarii animalis fræno domandi naturam describit, adeò ut, etiamsi ipsum equi nomen omissum fuerit, satis tamen id ex descriptione pateat.

CAP. XV.

De Imitatione Fabularum & Ænigmatum.

IN verisimilibus imitatio fit rerum tam per Fabulas, quàm per Ænigmata.

Fabulæ subjicitur *Apologus*: Estque quando vel bruta animantia invicem, vel cum ipsis hominibus sermones habere figuntur. Tales sunt Ælopicæ, Sybaryticæ, & quas Aristoteles refert, Libycæ de colloquiis tantùm, Ælopicæ verò de utrisque agunt.

Ænigma verò est verisimilis imitatio, cum singulari quâdam occultatione, ut neque res, neque rei significatum intelligatur, priusquàm nodus involucri resectus fuerit. Tale est Sphyngis de homine infante, adulto, in extrema senectute constituto ænigma, quod Oedipo solvendum propositum fuit:

Quæ

*Qua manè incedit manibus naturâ quaternis?
Luce bipes mediâ? sole cadente tripes?*

Talia sunt *Ænigmata* pastorum apud Virgil. *Æclog.*
3. his versibus descripta:

*Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas. Et
Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.*

Primo enim imaginem cœli in puteo comparē-
tis; Secundo florem Narcissum, cui litera R naturâ
impressa cernitur, exprimunt.

Sunt tamen, quibus in primo Virgilius per cœlum
intelligere videatur arcum triumphalem Augusto
Cæsari dicatum, aut locum, quo sedens in Theatro
aut circo ludos spectaret; in posteriori videntur in-
telligi Augusti Cæsaris liberorum nomina inter flores
confertos inscripta.

Ænigmati interdum *præmiū* apponitur: Sicuti
in proposito exemplo Damon Menalcæ magni Apol-
linis laudes; Menalcæ Phyllidis puellæ copiam Da-
moni soli præcii loco proponit.

CAP. XVI.

De Gripho seu Logogripho & Anagrammatismo.

Similia *ænigmatibus* duo restant *γενέσεως μυστικῆς*
κῆς, id est, imitatricis genera: quorum alterum
Griphus, alterum Anagrammatismus.

Griphus vel *Logogryphus*, quo cujusdam rei pro-
prietas absconditur. Sic dictus, quò deo involvamus,
& veluti irretiamur (Griphos enim Græcis rete est,
unde apud Gellium lib. cap. 2. pro *ænigmate*, seu
sermone intricato legitur) ut in hoc vulgari:

*Si caput est, currit; ventrem super adde volabit;
Adde pedem comedes; & sine ventre bibes.*

Muscatum, nucis myristicæ species, fingitur caput in prima syllaba *Mus* habere, unde rursus novum vocabulum animalis oritur: cui si addatur venter, hoc est, media syllaba *ca* vocabuli propositi, volans, videlicet *musca* inde conficitur: tertio si cum pede, id est, extremâ syllabâ *tum* priores duæ conjungantur, fit *Muscatum* ipsum nimirum propositum: tandem elilo ventre, ex capite *mus* & pede *tum*, fit *mustum* Baccho sacrum.

Secundum genus *Ænigmatis Anagrammatismus* vocatur; in quo sive ex unico vocabulo, sive ex pluribus, interdum ex sententia integra, nova quædam sententia transpositione literarum elicitur. Talis est in uno vocabulo MAURITIUS: IMA VIRTUS: vel, MIRTUS AVI. In pluribus vocabulis, ut: ex VERGILIUS MARO, emanat: RUS VIGIL AMORE. Sic in integra sententiâ: VERGILIUS MARO MANTUANUS EST, emergit: RURE NATUS, NUM SAT VIGILES AMO? Sic in duobus illustribus sponis, quorum nomina, LUDOVICUS, MARIA, invenitur: JUVA DULCIS AMOR.

Mauritius Landgravius Hassorum, ἀναγραμματικὸς est:

Vir gratus, à Musis humanis laudor.

Sed hæc etiam, ut Dialogi & Colloquia, solutâ oratione scribuntur. Exemplo est illud Clearchi apud Athenæum lib 10. Vir non vir, id est, *eunuchus*, videns non videns, id est, *luscus*, avem non avem, id est, *vespertilionem*, sedentem non sedentem, id est, *pendentem seu herentem*, super ligno non ligno, id est

est, ex ferulâ, lapide non lapide, id est, pumice, percutit non percutit, id est, leviter attingens perstringit, seu vult quidem percutere, sed aberrat, nec ipsam attingitur.

CAP. XVII.

De imitatione animi vel factorum.

Talis est imitatio rerum, sequitur affectuum. Imitatio affectuum est vel animi, vel factorum.

Animi autem affectus ita imitandi sunt, ut natura ipsorum exprimatur, veluti tristitia tristibus, mœstitia mœstis.

Sic lætitia lætis, furor furentibus, metus trepidantibus, risus ridiculis; & sic reliqui affectus suis propriis, tam in sensu, quàm metri forma depingantur.

Huic imitationi inserviunt certa literæ: Itaque earum delectus habendus est. Sic Ovid. I. de Rem. Amor. furorem describit:

Dum furor in cursu est, currenti cede furori:

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Hoc loco vocales U & O sæpius cum consonantibus R & S sumtæ fremitum quendam instar furoris reddunt.

Sic affectum animorum iratorum sacerdotum ostendunt A, O, R, M, & repetitio apud Poëtam recentem.

Arma sacerdotes animis flagrantibus arma,

Arma fremunt, unaq; ruunt &c.

Sic Virg. 4. Æn. Æneam attonitum valdè concinnè, tam materiâ, quàm versibus exprimit, dum canit:

At verò Æneas aspectu obmutuit amens,

Arrectaq; horrore coma, & vox faucibus hæsit.

*Ardet abire fugâ, dulcesq; relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperioq; Deorum.*

Hi versus omnes ab A incipientes interjectionem AH dolentis imitantur: deinde sequuntur verba trepidantia in relinquere, imperio, & similibus: Præterea amens, hæsit, fugâ, attonitus, valdè internum metum explicant. Sic idem Virgil. 1. Æneid. tempestatem descripturus ait;

- - - totumq; à sedibus imis
*Unâ Eurusaq; Notusq; ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos tollunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorque virum, stridorque ridentum.*

His versibus ità suis affectibus rem depingit, ut non solum impetus, sulsurri, sibili, commotiones, & impulsiones exprimantur, verùm etiam instar vivorum animantium ventos agere Poëta fingat.

Haud aliter idem Poëta 3. Æn. Polyphemum in antro describit:

- - - summo cum monte videmus
*Ipsam inter pecudes vastâ se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem;
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademptum.*

Ubi sanè Poëta gravitatem, proceritatem, vastitatem, rusticitatemque illius Pastoris monstrosi, tot vocalibus boantibus O, & mugientibus M, tot denique literis stridentibus R egregiè delineat.

Schol.

Ad rerum imitationem facit delectus, vel alternatio literarum, & concinna pronunciatio.

Voracitas fameque & feritas Hydræ pulchrè exprimitur à Virgilio hoc versu:

Quinquaginta atris immanis hiatus hydra.

Hic 1. est alternatio I, cum A: cum A dico, aperio os, ut spiritus liberum habeat exitum.

Cum

Cum I profero, os fit angustius multò, ut penè claudatur, itaque alternans a & i, per vices aperio, & claudio quasi os, ut videat mandere instar esurientis. 2. ex repetitâ is crassus spiritus ostenditur, qui ex hoc monstro efflatur. Sic:

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,

Cum dicis *Tu*, os diducis, ut prominentiâ labiorum significes, extra te esse peritiam illam inflandi. Cum dicis *Ego*, musculos oris in te contrahis, ut ita ostendas intra te esse peritiam canendi versus.

Sic repetitio literæ A Virgilius voracem hiatum Furiarum & amplissimum apertissimumque maris campum repræsentavit.

--- *Furiarum maxima juxta Accubat.*

Vela damus, vastumque cavâ trabe currimus equor.

Vide Bartholomæum Maran, Venusinum.

Hic apertio oraculi significatur:

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Repetitione A, & consonarum asperarum, exprimitur canis latratus & monstri feritas apud Virg.

Cerberus hec ingens latratu regna trifauci

Personat, adverso recubans immanis in antro.

Litera B adjuta à P (est enim literarum pauperrima) exprimitur à Virgilio sonus vehementior & impetuosior hoc versu:

Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

(*Nimborum magis lonorum, quàm Ventorum*)

Vel inflata fit oratio, ut hîc I. Æneid.

Hinc populum latè regem, belloque superbum.

CAP. XVIII.

De elaboratione Thematis.

ET tantùm de Geneseos primâ parte, quæ est in imitatione, sequitur ea, quæ est in elaboratione.

Elaboratio est materiæ per imitationem deprehensæ sufficiens expositio.

Ideoque ceu lima primæ massæ poliendæ adhibetur.

Schol.

Poliendæ) Nota, quædam Poëmata esse subito excussa calore, seu Extemporalia; Alia bene accurateque meditata. Illa vocarunt veteres Sylvas, vel à multiplici materiâ vel à frequentia rerum inculcatarum, vel ab ipsis rudimentis. Rudia namque, ut ait Scaliger, poëmata, & sanè effusa, postea castigabant, de quo genere ἐκλογαὶ, id est, selecta Carmina. Spectantur autem Sylvæ in Epithalamiis, genethliacis, propempticis, protrepticis, paræneticis, paramythicis, epigrammaticis &c.

Hæc est in *Ideâ* & pertractatione: quæ Græcis est ἰδεργασία & Τελείωσις.

Per Ideam proponitur tam Thema ipsum, quàm Thematibus circumstantia.

Thema est cujuscunque carminis argumentum, propter quod illud ipsum fit.

Id autem à Poëtis aliquando expressè, aliquando verò occultè ponitur.

Expressè autem initio carminis reperitur. Sic Metamorphosin suam exorsus Ovidius thema statim in initio primi versûs ponit:

*In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dui ceptis, nam vos mutastis & illas,
Aspirate meis, primaq; ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.*

Hisce enim Poëta significat, sese de Metamorphosi corporum novâ, ab initio mundi usque ad sua tempora, dicturum esse. Sic Georgicorum libros Virgilius ita inscribit:

*Quid faciat letas segetes, quo sidereterrans
Vertere, Macenas, ulmisq; adjungere vites
Conveniat, que cura bouum, quis cultus habendo
Sic pecori, atque apibus quanta experientia parvis,
Hinc canere incipiam.* . . .

Hic Maro sese vitam rusticam in quatuor partibus

bus, agriculturâ, vitium, boum, pecorum, & apum
curâ descripturum fate ur.

Eodem modo idem Æneid. libros auspicator.

*Arma virumq; cano, Troje qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit*

Littora.

Ibi enim res gestas primi istius ab exilio Trojano
in Italiam profugi cantaturum se Virg. testatur.

Quando autem sub finem argumentum scribitur
ἀνακεφαλαίως appellatur, qualis est in conclusione
Georgicorum.

*Hec super arborum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus.*

Tantum de themate, sequuntur ejusdem circum-
stantiæ.

CAP. XIX.

De circumstantiis Thematis.

Circumstantiæ Thematis sunt, quibus ipsum the-
ma adornatur: ex quibus tum à personis, tum rebus
desumuntur.

Ut utrumque verò consideratione loci & temporis.
Circumstantia à personis consideratione loci est, quando
vel patria, vel habitatio, vel iter aliquod describitur:
Sic in Andria Terent. Act. 5. scen. 4. Glycerii patria
per Critonem exponitur, hoc modo:

*Atticus olim navi fractâ apud Andrum ejectus est:
Et isthac unâ parva virgo: tum ille egens foris applicat
Primum ad Chrysidis patrē se, tum is mihi cognatus fuit
Qui eum recepit: ibi ego audi vi ex illo, esse Atticam.*

Hic enim expressè, tum in initio, tum fine, parvam
istam virginem Glycerium Attico solo progeneratam pro-
bat. Sic Vergil. 1. Æneid. describit portum Libyæ,
ad quem Æneas cum septem navibus appulit:

Est

*Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alio
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos:
Hinc atque hinc vasta rupes, geminique minantur
In coelum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta silent. - -*

Sic Ovid 14. Metam. Ulyssis iter egregiè describit.
Circumstantia ratione temporis aliquando est in ætate, aliquando in coævo, aliquando in collatione temporum. Sic Cornel. Gallus Poëta clarissimus anteaetam suam ætatem artificiosissimè describit in hilce:
*Dum juvenile decus, dum mens sensusque manebant,
Orator toto clarus in orbe fui.*

*Sapè Poëtarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.*

*Sapè peroratâ percepi lite coronam,
Et data sunt lingue premia digna mea.*

*Quæ cum defunctis jam sunt immortua membris,
Heu senibus vite portio quanta manet!*

Sic Virg. 7. Eclogâ ætatem parem Thyrsidis & Corydonis pastorum describit:

*Compulerantque greges Corydon & Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte Capellas:
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares & respondere parati.*

De collatione temporum egregia extat illa apud Ovid. Metam. 1. Fab. 3. comparatio seculorum, Aurei, Argentei, Ænei, Ferreique, quam ibi videre licet.

Circumstantia de rebus tam in loco, quàm tempore varia est. Tot enim inveniri possunt circumstantiæ, quot res, quot loci, quot tempora, ità tamen ut ad rem faciant, & legentem ad persuasionem adducant.

CAP.

CAP. XX.
De Cópia rerum.

HActenus elaboratio in ideâ, seu expressione fuit,
sequitur *Pertractatio*, seu *ἐξεργασία*, quâ car-
men ad finem usque deducitur.

Ea consistit in *Amplificatione & Concinnitate*.

Amplificatio est, cùm carmen dilatatur.

Ea est in *copia* tum rerum, tum vocabulorum.

Rerum copia est, quando ad amplificandum aliquod
thema, præter circumstantias requisitas, aliæ res ap-
ponuntur: quod tamen ità fieri debet, ne scopum the-
matis immutent, vel eundem deforment.

Huc referuntur *commorationes & paraphrases*,
id est, diffusiores explicationes.

Sic Horat. Od. 28. lib. 1. sententiam (*Omnibus
esse moriendum*) egregiè amplificat hoc modo:

- - - *Nec quicquam tibi prodest
Aëreas tentasse domos, animoq; rotundum
Percurrisse polum morituro.
Occidit & Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque remotus in auras:
Et Jovis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum: quamvis (lypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem mori concesserat atra:
Judice te, non sordidus auctor
Natura verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi.
Dant alios Furia torvo spectacula Marti:
Exitio est avidis mare nautis.
Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.*

Mori-

Moriuntur, inquit, summi: ut Philosophi, Architas
& Pythagoras: Reges, ut Tantalus, Tithonus, Minos:
moriuntur infirmi, ut milites & nautæ, senes & juvenes.

Idem Horatius eandem sententiam variè alibi ex-
pressit lib. 2. Od. 18, lib. 2. Od. 3. lib. 3. Od. 1. lib. 2. Od.
14. Artificis enim est, non solùm uti *varietate verbo-
rum*, sed & *amplificatione* sententiarum, & tractationis
exemplorum: quod in his poëtæ doctissimi locis fa-
ctum est.

CAP. XXI.

De Synonymis & Periphrasibus.

Copia vocabulorum est in Synonymis & Peri-
phrasibus; Epithetis & Propriis.

Synonyma sunt, quando unius rei plura vocabula
appositè concurrunt: ut si concurrerent *Fortuna, fors
alea, calus, vices rerum*: vel *Ædificium, ædes, domus,
cala, tugurium*: sic *equus, caballus, sonipes, cornipes.*

Substantivorum *Epitheta* sunt vocabulorū adjuncta.

Quemadmodum igitur cibum condimenta, ita poë-
ma aliquod *Epitheta commendant*: sine quibus quod
meditamur nil sapit, vel delectat. Sic quando nomino
arborem, eamq; appositè ab *umbra, proceritate, viri-
ditate, quòd sit umbrosa, procera, lata, viridis, &c.* de-
scripsero, apprimè rem à suis adjunctis explicavero.

Adhibentur autem *Epitheta* tum *ornatûs*, tum *ne-
cessitatis* gratiâ: non secus ac tropum necessitas pri-
mùm invenit, postea usus & decor retinuit.

Ornatûs gratiâ *Epitheta* in amplificationibus plerun-
q; instituuntur, ceu videre est apud probatos auctores.

Necessitatis gratiâ, ut plurimum discretionè, seu ex-
plicatione apponuntur. Sic Tibull.

- - - *Nos ad mala nostræ*

Vertimus, in savas quod dedit ille feras.

Savas, inquit, *feras*, ad distinguendum à domesticis
& mansuetis. Sic in hilce: *Tecum*

Tesum habita & noris, quàm sit tibi curta supellex.

Item: - - - *Facilis jactura sepulchri est.*

Epitheta, curta supellex, & facilis jactura, non tam ornatus, quàm necessitatis gratiâ, adjecta esse omninò patet.

CAP. XXII.

De Epithetorum & Periphrasium usu.

Ceterùm in *Epithetis* hoc observandum est, ut ex intervallo suæ voci jungantur, præsertim si sunt unius soni: Nam quando in iisdem diversus reperitur sonus, ibi continuò jungi decenter possunt, ut:

Obsequioq; fideq; boni retinentur amici.

Virgil.

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis

Pectora?

Hinc igitur *ἀνυγον* est illud:

Portat equus, cristasq; regit galea aurea rubra.

At interdum evenit, ut nulla in versibus reperiantur Epitheta, quales sunt plerunq; versus sententiosi, ut: Virg. *Discite justitiam moniti, & non temnere divos.*

Item: *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

Quòd si verò Epithetis utendum est, probè dispi-ciendum, ne secundum Aristotelem sint *inepta*; quæ sunt absurda, ut: *senex Respub. Panomphaus tonans*; ne sint *prolixa*, ut: *Incurvi cervicum pecus*: Ne *ni-mia*; cùm ita densantur, ut fastidium pariant.

Quare uni substantivo nomini *duo Epitheta* absq; conjunctione apponenda non sunt; Secus quàm li-centiosissimos Poëtas fecisse legimus: quale illud est Tragici, quod à Cicerone l. Tuscul. citatur:

Per speluncas saxis structas asperis pendentibus

Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.

Periphrasis est circumlocutio, quâ pluribus verbis ambimus rem designatam ut: *Nare Dea*; & *satius Anchisâ pro Æneâ*, *Uti.*

Urimur eâ vel ut rem obumbremus, itâ tamen ut intelligi possit: vel ut magis perspicuam reddamus.

Ad priorem usum pertinet, *cùm obscœna, vel sordida, & humilia* circumscribuntur, ut *cùm* ab Ovid. pro Bubulco dicitur: *Immunda cura fidelis haræ;* à Virgilio pro ciconia: *candida avis longis inuisa colubris.*

CAP. XXIII.

De Agnominatis & Patronymicis.

C*opia in propriis* est, quando illustrandæ sententiæ causâ propria, vel Deorum, vel Dearum, vel locorum, vel personarum, vel rerum nomina adhibentur.

Distinguuntur autem propria in *Agnominata à loco & Patronymica.*

Agnominata à locis, ut *cùm* dicitur *Æneas Trojanus; Scipio Africanus.* Sic Virgil. 2. *Æneid.*

Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles.

Hic Achilles sortitur à patria nomen: Larissa enim civitas Thessaliæ juxta Peleum ab Acrisio condita fuit. Sic Ovid. 1. *Metam.* in fab. Deucalionis & Pyrrhæ:

Coricidas nymphas, & numina montis adorat.

Nymphas ab Antro Corycio Musis sacro, quod in monte Ciliciæ Corico erat, nominat *Coricidas.*

Patronymica sunt propria à parentibus & majoribus variè deducta. Sic 6. *Æneid.* Achilles *Æaci nepos, Æacides* appellatur.

Qui Paridès direxti tela manusque

Corpus in Æacida . . .

Sic alibi 2. *Æn.* à patre Pelides vocatur.

Cavendum est autem ne *absurda & impropria synonyma Epithetaq; cum Periphrasibus & Propriis* utriusq; generis in carmine confundantur: Ideoq; diligenter perscrutandæ & imitandæ sunt veterum Poëtarum fabulæ de propriis variarum rerum nominibus, quas *cùm Natalis Comes* in sua Mythologia eleganter expo-

expo-

exponat, illum ipsum diligenter Poëtis legendum propinamus.

CAP. XXIV.

De Concinnitate in adoratione, & qualitate orationis.

Dicta est amplificatio in copiâ, sequit. concinnitas. *Concinnitas carminis est, quâ ipsum Carmen majori cum gratiâ perficitur: ac potissimum consistit in Adornatione subjectæ materiæ, & orationis qualitate.*

Adornatio materiæ est: 1. Ne quid prætermittatur necessarium. 2. Ne quid redundet (defectus enim legenti & audienti indignationem: redundantia neuscâ creat) 3. Ne sit ἀτακτος, id est, inordinata: Confusio enim intelligentiam remoratur, & perturbat: Adde quòd ordine cû desiderio lector in legendo retinetur.

Qualitas orationis est in Bonitate, Elegantia & Decoro: Lector enim non tantum utilitatem percipere, sed etiam suaviter affici & recreari debet.

Bonitas est tum in puritate & perspicuitate: tum in efficaciâ seu ἐνεργείᾳ.

*Pura oratio est, in qua nihil est sordidum, aut nihil peregrinum, alienumve: huic subjicietur *nitida*.*

Perspicuitas est facilitas orationis ad rem intelligendam: Hæc sæpè oritur ex puritate.

Barbarismi igitur, solæcismi, prodigiolæ & sordide voces, monstra phrasium, antiquata seu calcata, ut Seneca vocat, vocabula peregrina, nova, insolentiaq, verba, omninoque impropria atque affectata λέξις, vitando sunt. Qualia ridet Persi. Sat. I.

*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablaturo superbo
Bassaris & lynceum Menas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis assonat Echo.*

Effi-

Efficacia est vis orationis, rem optimè repræsentantis.

CAP. XXV.

De Elegancia in Euphonia.

Elegancia est verborum Electorum, & cultus, & non vulgaris coaptatio.

Estque in Elocutione, ut tropis & figuris; & euphoniâ seu numero.

Euphonia est conveniens sententiæ sonus è compositione & dispositione partium. (Huic opposita est *Cacophonia*.)

Euphonia potissimum pendet à transpositione vocum & copulatione.

In transpositione vocum primò observatur, ne fiat *ταυτολογία*, vel in literis vel in vocabulis: Ea enim in literis *alliteratio* non nisi ad rei alicujus affectum, vel actionem exprimendam admittitur. Sic sæpissimè Virgil. alliteratione usus, inter cæteras Palinurum jam somnolentum & oscitantem, diductione oris, alliteratione hæc depingit, 5. *Æneid.*

Talia dicta dabat clavumq; affixus & hærens.

Secundo vitandi sunt *Rhythmi*, quos in medio & fine metri ejusdem syllabæ tenor conficit: qualem Virg. 5. *Æneid.*

Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Item Ovid. *Nec nisi finita per plurima vulnera vita.*

Idem: *Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.*

Idem in Pentametro.

Quærebant flavos per nemus omne favos.

Tertiò cavendum est, ne monosyllaba ad finem versus ponantur: ut illo Ovid. de Pon.

Quid referam veteres Romana gentis apud quos.

Item Martial.

Sævola, tu cœnas apud omnes, nullus apud te.

Interdum tamen habent eleganciam, si præsertim re-

rum

rum animatarum monosyllaba fuerint, ut: *Opima
cadit sus. Procumbit humi bos. Nascetur ridiculus
mus.*

Quartò bisyllaba & trisyllaba maximè in versibus
commendantur: In fine tamen Elegi pentametri ra-
riùs adhibetur trisyllabum ab Ovidio & hujus simili-
bus. Sed & aliquando hìc habent gratiam, ut in ma-
teria lugubri. Et apud Tibullum est hic pentameter:
*Abdita quæ senis fata canit pedibus, pro: Quæ pedi-
bus senis abdita fata canit.*

Schol.

Videamus exempla de lugubribus.

Dic, anima bene sit! dic, bene sit cineri!

Item:

Spiritus ante Deum vivit, sed corpus inane

Hic superinducto condidimus tumulo.

Votis ergò tuis nimis obstant invida fata,

Optima cum mæsto quæ rapiunt gemitus.

Ah! ut vita fugax viureumq; & labile donum,

Cum primis avi vere cadit violis.

Est tibi parva quies: summi novus incola cæli:

Gaudia promissâ carpis ibi in patriâ.

Quadrissyllaba etiam hìc bona sunt, ut:

Tu mihi dulciolum: tu mihi suaviolum.

Item:

Culta tibi Eunomie: culta tibi Eusebie,

Polyssyllaba verò valdè molesta sunt, ut illud Horatii:

Quisquis luxuriâ tristive superstitione.

Sic hoc vulgare:

Gaudet honorificabilitudinitatibus Hermes,

Tales versus egregiè lusit Briffaus Hasenstenius, vir
nobilis Pomeranus hoc disticho:

Conturbabantur Constantinopolitani

Innumerabilibus sollicitudinibus.

H

CAT.

CAP. XXVI.

De Copulatione seu catenatione
Carminis.

Copulatio, quæ aliàs Catenatio vocatur, est, quæ
metrum eleganter connectitur.

In hâc autem hæc potissimùm *observanda* sunt :
1. Concinna sit compositio syllabarum ac pedum,
justumque canorem exhibeat, ut : *Lurida terribiles
miscent aconita noverca.*

Pulverulenta fugâ glomerant camposq; relinquunt.
Et :

*Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula cam-
pum.* Sonori hi verlus sunt.

2. In elisionibus modus teneatur. Hæ enim sæ-
pius, aut non in loco, in carmine repetitæ ingratum
auditoribus tinnitum exhibent. Sic Horatius:

Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquat.

Nam ut ferulâ cedas meritum majora subire.

Duas elisiones valdè inconcinnas *D'ex, N' ut,*
cum singulari versuum dedecore ponit.

Hæc autem metri defædatio in isto Catulliano ma-
gis patet :

*Quam modò qui me unum atque unicum amicum
habuit.* Et in hoc ejusdem :

Troja virum & virtutum omnium acerba cinis.

Quanquam mollis elisio non solùm permittitur,
præsertim cum vocales eadem, vel ejusdem seu eo-
gnatæ naturæ occurrunt : verum etiam venustatem
carmini addit, quod utrumque exemplorum confide-
ratione patebit. Ovid. 2. Metam.

*(constitit ante domum (neque enim succedere rectis
Fas habet) & postes extremâ cuspide pulsat.*

Hæc elisio, neque enim, quoniam earundem est
litera-

literarum se se insequentium, mollis & permiffa est;
Qualis illa apud Virg. lib. 5. Æneid.

Sic fatus tergum Geuli immane leonis.

Ejusdem seu cognatæ naturæ exemplum est a-
pud Ovid. Fast. lib. 2.

Illam nocte aliquis tollens ad sidera vicium

Dicet, ubi est hodie, quæ lyra falsæ heri?

Et apud Virg. lib. 3. Georg.

Æra per vacuum ferri, atque assurgere in auras

In primo exemplo eliditur e ante a, & i ante e, in
secundo i ante a, e antea; & e ante i, quæ elisiones
ob hanc causam non sunt duræ, quoniam sunt ejus-
dem naturæ: cum enim a, e, i, vocales sint ore didu-
cto, faciliè sine auriæ offensione inter se invicem
mutari & elidi possunt. Sic Virg. Æn. 8.

Tum memorat: Ne verò, hospes, ne quare profecto.

Et Æneid. lib. 3.

Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quæ surgere regnat?

Ejusdem naturæ vocales o ante o, & u ante u,
(quippe quæ vocales sunt ore contracto) non inde-
corè eliduntur.

Sed & diversæ naturæ vocales in sequentibus exem-
plis eliduntur: ut Ovid. Metamorph. 9.

Ergò ego, quæ fueram non rejectura petentem.

Virg. lib. 2. Æneid.

Limina tectoru' & mediu' in penetrabilibus hostem.

Et 2. Georgicorum.

Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.

Ovid. Fast. lib. 6.

Auctor in incerto est, res est Romana, tuetur.

Quæ elisio ob cognationem, quam vocales istæ
habent, & conceditur, & jucunda est: in quarum
tamen vocalium & cognatarum & ejusdem naturæ

H 2

eli:

elisione cavendum est, ne vel consonarum multitudo,
vel difficilis & ingrata prolatio fiat, ut in hoc Virg. 7.
Æneid.

Tum lateri, atque humeris Tegam subligat enses.
Et 7. Æneid.

Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.

Elisio præterea interdum venustatem carmini ad-
dit, adeò ut mutata asperum & durum prorsus sonum
efficiat, ut Virg. ista testatur elisio Æn. II. lib.

Subligat atque enses collo suspendit eburnum.

Non dubium est, quin Virgilius ipse noverit eli-
sionem, commutatione vocabuli atq; in ac, potuisse
vitari, ut versus fuerit :

Subligat ac enses collo suspendit eburnum.

Verùm asperius & durius sonat, quàm dulcis &
lenis vocalis elisio : Quam dubio procul poëta sen-
tiens & rei convenientem [quemadmodum semper
multum ipsis rebus & sano judicio, ut ex toto ipsius
opere videre est, tribuit,] & auditui gratam maluit
præferre, quàm artis prætextu versum deformare &
deteriorem reddere.

Tale est, quod idem auctor habet Æneid. 4.

Interea & taciturnæ vivit sub pectore vulnus.

Schol.

Asperius & durius) Asperi & durè dicuntur versus Fragosi
(τραχεῖς) qui vel durioribus consonantium commixtio-
nibus aut repetitionibus, vel frequentioribus collisionibus
exasperantur.

Plura subjungeremus, nisi sufficere allata exempla
arbitraremur. Ex dictis enim patet, & fugiendas, &
justo tempore atq; loco, si necessitas postulat, adhi-
bendas esse elisiones.

At tamen in descriptione rei monstrosæ & voragi-
nis gratiam habere possunt, ut Virgil.

Mon.

Monstrum horrendum, informe, ingens, &c.

Quod sic imitari licet :

*Monstrum horrendum, avidum, imo aërum orco,
Hecate atque Erebo ortum.*

A sæpiùs repetitum & trium syllabarum elisione absorptuque adjutum aptissimè ob oculos ponit voraginem & inexplebilem cupiditatem famemque pecuniæ pygmalionis apud Virg.

Impius ante aras atque auri cæcus amore

Clam ferro incautum superat.

Idem Virgilius, ut exprimeret animam è corpore exituram, & literam A repetivit, & versum sententiamque ipsâ terminavit (Nam qui moritur, ore hiat aperto) & bis adhibuit elisionem.

Tuâque animam hanc effundere dextrâ.

Sic propter singulare artificium synalœpha hîc toleratur :

Quæ ira Dei patris propter peccata peremit,

Mira Dei fratris facies placata redemit.

Conjunctionum connexio iusta, quæ magnum lumen sæpenumerò carmini affert, non est negligenda.

Et tantum de Elegantiâ; sequitur Decorum.

CAP. XXVII.

De Carminis Decoro, quod

Græcis est *πρέπον τῆς μέτρῃς.*

Decorum est tum in virtute Ethicâ, ut oratio sit venusta, verecunda, modesta, non obscœna: ut sit varia, modò mollis, modo aspera, aut gravis: tum in charactere dicendi, seu stylo, qui etiam diversus in diversis poematis sæpè adhibendus est.

Itaque prudentiâ imprimis opus est carmen scribenti: Et ea quidem princeps ejus virtus est.

H 3

Est

Est autem *stylus* dicendi forma, seu ratio, similis
ejus rei, cujus est nota.

Suntque ejus *duo* modi extremi, *Gravis* & *Humilis*,
& inter hos interjectus unus *Aquabilis*.

Gravis est, qui in seria, excellenti & gravi materia
adhibetur, ut cum Heroës, Deos, luctus, orationes,
bella, consilia ad deliberandum; judicia ad eligendum;
virtutem ad exequendum, & id genus alia de-
scribimus.

Huic adjacet dignitas, hoc est, conditio personæ
quæ putatur digna laude aut præmio.

Humilis est, quo in jocosa & vili materia utimur,
ut cum mores hominum privatorum, rusticorum,
Satyrorum, animalium, plantarum, & ejusmodi de-
scribimus.

Huic adjacet tenuitas & simplicitas.

Observandum autem est, ne in gravi stylo ad arro-
gantiam, neque in humili ad levitatem excedatur:
tunc enim poeta & odium & contemptum sibi parit.

Aquabilis est medius inter gravem & humilem,
mediocres lententias sermone lectiore designans.

Huic adjuncta est rotunditas, id est, oratio, quæ
neque est plana, ut humilis illa, neque tumida, qualis
grandis.

Hæc autem genera in uno carmine sæpè miscentur,
pro materiæ varietate.

Hæc de poeticae artis præceptis, quod illa certis re-
gulis tradi potuit, sufficiant.

Cætera, ad poetam docendum quæ restant, ex
probatorum auctorum monumentis, ut sæpius hoc
opusculo monuimus, cum judicio excipienda,

& felici imitatione suscipienda re-
linquimus.

IN.

INDEX RERUM

LIBRI I.

- P**oëtica quid? ejus partes. cap. 1.
Quantitas quid? cap. 2.
Quantitatis cognitio generalis syllabarum omnium.
cap. 3.
Quantitatis cognitio generalis syllabarum priorum.
cap. 4.
Quantitatis cognitio syllabarum primarum specialis.
cap. 5.
Quantitatis cognitio syllabarum mediarum specialis.
cap. 6.
Quantitatis cognitio vocalium terminantium specialis.
cap. 7.
Quantitatis cognitio vocalium consonam præcedentium specialis. cap. 8.
Exempla seu auctoritas. cap. 9.
Pes quid? quotuplex? cap. 10.
Figura metri. cap. 11.
Species metri. cap. 12.
Pedum collocatio. cap. 13.
Metri terminatio. cap. 14.
Scansio metri. cap. 15.
Enallage seu Metaplasmus in versibus. cap. 16.
Auxesis in Dialysi seu Diæresi, Epenthesi & Diplasi-
almo. cap. 17.
Mutatio syllabarum in Systole & Diastole. cap. 18.
Cæsurae usus in carmine. cap. 19.
Jambicum, Choriambicum seu Scazon. cap. 20.
Trochaicum. cap. 21.
Choriambicum. cap. 22.
Dactylicum. cap. 23.
Anapæsticum. cap. 24.

Com-

Composita metra. cap. 25.

Reciprocatio metri manentis & mutati. cap. 26.

LIBRI II.

Carminum differentia, & quidem primò de variis
speciebus metri. cap. 1.

Distinctio carminum è figurâ metri. cap. 2.

Divisio carminum è modis. cap. 3.

Carmina rerum indefinitarum. cap. 4.

Carmina certarum causarum. cap. 5.

Dramatis partes principales. cap. 6.

Dramatis partes accessoriæ seu minus principales. c. 7.

Dramatis membra, Actus & Scena. cap. 8.

Drama Motorium & Statarium. cap. 9.

Tragœdia. cap. 10.

Comœdia & Tragicocomœdia. cap. 11.

Drama imperfectum. cap. 12.

Genesis in imitatione poetarum. cap. 13.

Imitatio rerum. cap. 14.

Imitatio fabularum & ænigmatum. cap. 15.

Griphus & Logogriphus. cap. 16.

Imitatio animi vel factorum. cap. 17.

Elaboratio thematis. cap. 18.

Circumstantiæ thematis. cap. 19.

Copia rerum. cap. 20.

Copia vocabulorum in Synonymis & Periphrasibus
cap. 21.

Ulus Epithetorum & periphrasium. cap. 22.

Copia propriorum in agnominatis & patronymicis.
cap. 23.

Concinnatas in Adornatione & qualitate orationis:
cap. 24.

Elegantia in Euphonia. cap. 25.

Copulatio seu Catenatio Carminis. cap. 26.

Carminis Decorum. cap. 27.

F I N I S.

AB 38916

riis

7.

is

s.


ULB Halle 3
004 379 233




V017

IL







POETICES
 METHODICE
 CONFORMATÆ
 LIBRI D.L.O,

A B

ILLUSTRISSIMO
 PRINCIPE MAURITIO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, &c.
 CONCINNATI,

&

*Sextum jam in lucem correctius
 editi, & scholiis seu hypomnematis uti-
 lissimis illustrati.*

A. N.

Cum gratia & privilegio.

990



CASELLIS

Typis & Impensis SALOMONIS
 KURSNERI,
 ANNO M DC XCI.

1690

